



NARRATIO

De

HELIO EOBANO
HESSO,

Comprehendens mentionem
de compluribus illius ætatis
doctis & eruditis viris,
composita.

a

IOACHIMO CAMERARIO,
Pabepergense.



LIPSIAE,
Impensis MART. THEODORI HEYBEY.

ANNO M. DC. XCVI.



De
HELIO EOBANO
H E S S O

Narratio

Ioachimi Camerarii

Pabepergensis,

ad

Clarissimum Virum,

ADAMVM CRATONEM

Fuldensem,

AMICVM SVMMVM.

I.



Recordanti mihi, Adame, studia iuuentutis nostræ, quæ nos singulari usu coniunctos tenuerunt, multæ suaves cogitationes excitantur animo meo, in quibus, tristissimis rebus & durissimis his temporibus, interdum soleo acquiescere. Ut autem qui in febre frigidam biberunt, se nonnihil in præsentia sub-

A 2

le-

leuari sentiunt, mox vero grauius affliguntur: ita quoque mihi sæpenumero vsu venit, vt iucunditatem illam maiores molestiæ excipiant. Non modo quum hanc ætatem & superiorem nostram cōfero, & ægre fero tantam contentionem tam celeriter repressam, & ardorem istum extinctum esse; sed quum, vt necesse est, de iis, quæ ante oculos interque manus sunt, vt Poeta ait, coniecturam facio, quæ deinceps consecutura esse videantur. Atque sunt priora illa quidem eiusmodi, vt morsus habeant sane acerbos, hoc vero posterius non solum maximos dolores, sed ingentem etiam metum commouet: de quo quidem neque possum in acerrima ægritudine, neque in tanta hominum improbitate plura scribere de beo. De altero si tecum disputem, & offensione ad plerosque hoc cariturum esse spero, & ita aberrauerit aliquantulum mens a curis & anxietatibus, quibus cum conflictatur, quoties vel in præsentis miseriæ quasi tempestatem intuetur, vel futuræ calamitatis naufragia prospicit. Quæ quidem sola via est declinandi impetum perturbationis. Cui si veluti directæ fronte, &, vt Græci aiunt, ἀντιπρόσωπον occurere velis, celeriter perculsus & euerfus prosternaris. Iam de studiis nostris differere, vt nobis dulce, ita ad alios neutiquam inuidiosum

osum esse potest. Quis enim illa vel colit, vel admiratur, vel iam omnino respicit atque curat? Nugæ hæc esse ducuntur, & in vita communi ἀῤύρματα tanquam lusum puerilium. Habent enim iam homines quod expetiuerunt, summam statuendi & agendi licentiam. Nihil tam absurdum est, quin animus concipere & lingua proferre, nihil tam audax, quin aggredi cupiditas & manus conari ausingat. Non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valet, non iudicium, non existimatio ciuium, non posteritatis verecundia, vt ait Cicero. Aperuerunt autem studia nostra iter eruditæ & liberalis vitæ, errorum quasi vepribus excisis, & bonis artibus atque literis consuetudine humana perculsa. In hos, tanquam amœnissimos hortos, temeritas & petulantia vastatrix subito irruit. Et sunt Musarum, secundum Poetam, floribus austri sane, procellosi, & liquidis immisssi fontibus apri. Sed nescio quo pacto, etiam dum fugit tristitia animus, nihilominus ad horum conspectum, refertur. Sit igitur hic istorum finis.

II. Ac adspiciamus iam ad illa, in quibus & lætitiæ aliquid & quietis me reperire dixi: id quod & te facere mihi persuadeo, vt libenter memineris tam assiduitatis atque diligentiae discipulorum, quam magistrorum attentionis

atque sedulitatis, quam nos sumus experti, & cuius participes quoque fuimus, vel potius, quo tempore ac loco nos etiam aliquam laudemque decusque gesimus. Sunt enim anni ferme triginta quatuor, quum ego me Erphordiam contuli, ibique te florentem ætate, & ingenio & fama eruditionis atque doctrinæ reperi; quasque natura alter alteri conciliaretur, ita factum tum est, ut celeriter inter ignotos prius incredibilis animorum benevolentia existeret, nosque in studiorum similitudine amicitia coniungeremur, & ex usu mutua familiaritatis uterque aliquid fructus perciperet. Colebamus eas literas, sine quibus persuasum nobis erat nullam doctrinam sapientiæ professionem suam periri posse, & autores Græcæ & Latinæ linguæ legere studebamus. In qua parte ego, quanquam admodum adolescens, tamen ferebar in oculis, quia audiueram Richardum Crocum Britannum, qui primus putabatur ita docuisse Græcam linguam in Germania, ut plane perdisci illam posse, & quid momenti ad omnem doctrinæ eruditionem atque cultum huius cognitio allatura esse videretur, nostri homines sese intelligere arbitrarentur. Nos quidem certe ita statuebamus, hanc esse viam virtutis atque sapientiæ, & iter directum quum pietatis & reli-

religionis, tum humanitatis & laudis in hac vita & in terris. Verene an falso, non exquisiram in præsentia; nos scilicet ita censebamus. Neque spem, quæ concipiebatur de his rationibus, quantiuis tum vanire passi fuisset. Fuerit hoc erratum, mihi tamen profecto etiam opinio illa iucunda est, neque possum vel hodierno die animum inducere ut aliter sentiam. τὸ δὲ δοκῆν καὶ τὴν ἀλήθειαν βιάζεσθαι, aiunt. Et fuerit profecto hic error, si error sit, neque turpior, neque nocentior, quam est multiplex & varius error inter homines, ut non debeat nos huius nimium pudere, si quis illum exprobet, & impedimento fuisse perhibeat, quo minus opes, dignitatem, honores consequeremur.

III. Quum autem illius sanctissimæ & optimæ vitæ consuetudinem animo meo repeto, in primis ante oculos est EOBANVS HESSUS, ad quem tu quidem me primum adduxisti. Sed ille tam cupide me complexus fuit, ut neque dulcius neque constantius fieri quicquam potuerit. Nam & fauebat ardori, quo flagrare cernebat animum meum, studiorum bonorum, & diligebat pene puerilem simplicitatem audaciæ, in iis profitendis, quæ tenere me crederem. Et probabat interdum iudicium mediocris considerationis, de iis quæ forte disse-

rebantur; etiam firmitatem animi in simulationibus negligendis, & contemnendis obreftationibus. Meminisse enim te arbitror, quorum inuidia me tum impetiuerit, quum tu me acerrime defenderes & innocentiam meam tuereris. Erant autem æmulationes illæ neque capitales, neque omnino culpandæ. Alius aliovideri doctior volebat. Dum igitur se præferri studet cæteris, fieri non poterat, quin minus commodè interdum de iis loqueretur, quorum existimatione suam famam premi suspicabatur. *αἰσχρὴ δ' ἐστὶν ἡδε βεβήκη*, secundum Hesiodum. Absit modo acerbitas contumeliæ, & odii crudelitas. Sed hæc obliuioni, quasi ventis, dissipanda præbeantur. Quum autem annis quinque postea ferme quam ego Erphordiam reliqui, prospera fortuna me denuo cum Eobano coniunxisset, & augescentibus annis in mea vita aliquid mutationis accidisset, & mihi nonnihil tristitiæ oblatum fuisset, ita sum hoc amico vsus, vt & consiliis & consolatione ab eo sæpenumero adiuuaret. Sed præcipua erat suauitas & oblectatio in studiorum communium cultura, quum vterque alteri aliquid a se in hoc opere semper conferret. Nam ego nunquam dissimulaui quanto pere mihi profuerit Eobani familiaritas, & ipse, quo erat candore, non dubitabat interdum

dum prædicare, quid commoditatis perciperet de mea.

IV. Quum autem vidissem ante annos aliquot epistolas * huius scriptas ad diuersos, editasque magis studiose quam prudenter, vel ne studiose quidem satis; nam exempla incorrecta & mendosa diuulgata sunt, & te non fugit, qualis Eobanus scriptor fuerit, qui non modo quicquid in buccam venisset, vt dicitur, efferre, & τὸ ἐμὸν chartis committere, sed sæpe admodum in festinatione negligenter exarare literas soleret: huius igitur Epistolarum librum quum vidissem, vt non probarem talem editionem; ita factum illa occasione fuit, vt respicerem ad chartas meas, inter quas scirem Eobani epistolas ad me iacere. Inuenique tunc plures quam omnino putaram, & inter relegendum mirifice fui recordatione illorum temporum & consuetudinis nostræ delectatus. Fuit enim tum mos profecto optimus & humanissimus, & huic, quo nunc viuatur, dissimillimus: candor eximius in tribuendo cuique quod illi deberetur: summa reuerentia eorum, qui virtute & doctrina præstare crederentur: mira facilitas ad reconciliationem gratiæ, si quid forte simultatum incidis-

A 5

cidis-

* Edidit has Io. Draconites Marpurgi anno MDXLIII, forma maiori,

cidisset : in consuetudinis & familiaritatis usu nihil fucatum aut exulceratum : discendi, quod ignoraretur, inflammati studio animi, & nullus in confitendo pudor, nullum persequendi occasiones tedium, neque fastidium audiendi : in primis autem parata bene meritis grati animi memoria. Sed ut ad rem redeam, ceperam iam consilium & has epistolas adhuc delitescere apud me edendi, de quo statim ad te perscripsi : verum ea tempora inciderunt, quæ non hoc modo turbarent, sed alias multas præclaras res pessundarent. Veni tum forte ad nostrum Sturciadem Erphordiam, qui & ipse de editione epistolarum Eobani non nihil conquirebatur, & quum expressarum tum alia autographa scripta Eobani mihi dedit. Sumsi tum & a Groningo nostro complura. Quæ quo minus hactenus, ut volueram, in lucem prodierint, multa impedimenta fuerunt. Etsi autem rursus is horror tempestatis se ostendit, ut quid omnino de studiis bonarum artium futurum sit, valde metuendum esse videatur; tamen quum nuper incidissem & in hanc congeriem epistolarum Eobani, & ea quæ tu de hoc composita ad me miseras, cupido me cepit, & conscribendi de illo quæ comperissem & mihi nota essent, & emittendi in publicum epistolas Eobanicas nondum editas, quum
ad

ad me tum ad alios ab illo vere familiariter scriptas. Sperabamque hoc opus, si absolveretur, & voluptatem legentibus allaturum, & non expers etiam utilitatis futurum esse. Multa enim inerunt & liberalibus iocis quasi condita, & utilibus disputationibus de bonis literis aucta, & graubus etiam sententiis referta. Tibi certe scio, ut mihi descriptio & elaboratio fuit iucundissima, ita lectionem gratam, & hanc operam studii mei acceptam fore.

V. Scripturus autem de Eobano nostro, ordiar de tuis indicationibus, ut narratio ordine quodam procedat. Fuit igitur, ut significatur, quum tuis, tum aliorum, quorum opera in his perquirendis usus fuisti, literis, Eobani patria ea pars Cattorum, quæ spectat veteres Angri-varios ad Visurgin, in finibus ditionis Hesiæ. Parentibus natus est non illis quidem opulentis, sed honestis & integritatis ac pudoris laude inter omnes conspicuis. Mater civis fuit oppidi Gemundini, pater in montibus, quibus territorium Hesiæ conclusitur, operam suam dedit Conuentui Heinensi. Qui religione iam pridem neglecta, & disciplina corrupta, dissipatus nunc est, & mutata res, ut illo loco pauperes aliquot alantur. Quo loco vim quandam admirabilem naturæ consideran-

derandam esse puto, quæ in temporum, locorum, hominum, euentuum, maxima dissimilitudine, similitudinem tamen semper aliquam exprimit, vt in varietate maxima, congruentia summa animaduertatur a diligentibus & attentis. Nam quum Eobanus eam nostra ætate & his rebus præstantiam attigerit, quam olim rebus aliis Homerus, quasi diuinam & suspiciendam omnibus absoluiſſet, fuerunt inter hos similia permulta. Quemadmodum enim Herodotus tradit, in ripa fluminis Meletis partu editum fuisse Homerum: ita sub arbore in gramine mater recubans Eobanum enixa fuit. Et vt patria Homeri ignoratur: sic non potuit certo cognosci, quo loco in lucem editus esset Eobanus. In pago quidem vno ex eorum numero, qui attributi essent conuentui Heinenſi, natum illum esse satis constat, sed non eundem omnes nominant. Non abhorret a vero, in pago natum esse, cui est nomen Teutonicum deductum ab hircō. Nam ille aliquando iocans *Tragocomensem* se appellabat. Fuere & fortunæ origini pares, ac toto vitæ tempore non admodum ille in parte aucta aut luculenta re vixit. Peregrinator etiam, atque oculis hebetibus: hoc vno Homero felicior, quod visum penitus non amisit. Sed quamuis parentes haberet pau-

pauperculos, cura tamen illis fuit, vt Eobanus liberaliter educaretur. Nam fratrem huius natu minorem officinæ statim delegarunt. Accepimus autem natum eum fuisse, & ita credi ipse postulabat, anno Iesu Christi MCCCCLXXXVIII. Non. Ianuarii, hora post illius diei meridiem XVII, id est, mane hora quinta diei Dominici, quo adscriberentur in fastis Epiphania. Ad quam si describatur thema genethliacum, animaduertetur non pauca congruere cum themate Homérico, exposito a Firmico.

VI. Puer didicit a quodam Ditmaro, qui in illo Conuentu primas tum esset Ecclesiasticus, prima elementa literarum. Verisimile est, quod celeriter omnia perciperet, & fideliter retineret, placuisse vt literarum studia sequeretur. Missus igitur fuit ad propinquos Gemundam, inter quos præcipuo loco & nomine vnus Hartmannus Arnoldus, paullo natu grandior, qui postea in sua ciuitate magistratus præcipuos gessit, vna cum illo audiuit ludimagistrum cognatum suum, virum grauem & satis doctum, Iohannem Mebesium, qui hoc studeret, vt pueri in primis Grammaticas præceptiones cognoscerent & intelligerent. Hi duo postea Francopergam profecti fuerunt, ad spem doctrinæ vberioris. Quod ibi ludum aperi-

aperiret eruditione literarum tum celebris Iacobus Horlæus, quum ageret Eobanus annum decimum quartum. Hic vero magna benevolentia complexus Eobanum, quod eluceret in eo indoles eximia, vna cum paucis quibusdam aliis, impendit illi extraordinarias operas doctrinæ, & tradidit præcepta versuum faciendorum. Quumque aliquantulum temporis de hac institutione consumisset, iussit eos experiri in componendis versibus vires suas. Et proposuit sententiam illis Euangelicæ narrationis, ita vt tum fere commemorabatur, hanc: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris.* In qua statim notasse ferunt Eobanum, quod vna pars numeroſe caderet, ita vt pentameter elegiacus concluderetur, Sic autem accepimus expressisse versibus propositam sententiam, vt iam tum statim magister admiraretur vim promptam ingenii, & se profectus spem singularem de eo diceret concipere; ac arbitrari, diuinitus sibi in mentem venisse, vt illam sententiam tum proponeret, ominisque boni id loco accipere: sæpeque hortari Eobanum, pergeret quo Deus & natura ipsius eum ducerent; non enim sibi dubium esse, quin vir magnus esset futurus. Audiui ipse ex Eobano, aliquando sibi dormienti, & iacenti in quiete profunda, oblatam speciem qua-

quasi nauigii ad cursum omnibus rebus instructi, quod staret religatum ad littus. Quumque accederet, & intueretur illud solícite, incessisse se cupiditatem nauigandi, & visum fuisse sibi, quod funem solueret, & conscensa nave proueheretur; ita precatus, repente versu composito:

Dat andem fortuna viam, iuuat ire per altum.

Fuisse Horlæum virum optimum traditur, qui mirificam voluptatem caperet de discipulorum profectu. Isque sæpe postea, quum Eobani iam nomen celebrari inciperet, huius exemplo aliis ad discendum calcar cohortatione sua ad mouere solitus fuit. Inprimis autem placuerat illi; & spem singularis excellentiæ confirmarat in Eobano assiduum studium scribendi, & cura ac sollicitudo vt scripta sua emendarentur. Quum enim esset ingenio acri & vehemente, quoties forte versus fecisset, si minus potestas daretur conueniendi magistrum, constat eum tum quæsiuisse alios, a quibus errata corrigi posse speraret, neque repelli se passum fuisse vllis occupationibus horum, quin operam sibi dari peteret. Sæpe in cœru exhibuit frequente versus suos, aut attulit ad conuiuium, & precibus contendit, vt illi statim recitarentur, & si quid vitii in his esset vt demonstraretur: negare rem moram ferre,

posse, sibi alios versus mox esse faciendos. Hac puerili & liberali importunitate multi tum delectati, & istum ardorem studii exosculati in puero Eobano fuerunt, & dicere inter se: fieri non posse quin illa incitatio, & tam feruens studium, admirabile nomen pariturum illi puero esset, si vita ei concederetur; vereri enim se, ne præcox ingenium ad fructum proferendum non perueniret. Quem metum ut Deus inanem esse voluit, ita opinionem ominis illos neutiquam sefellisse exitus probauit.

VII. Quum in illo ludo mansisset Eobanus triennium, annos deinde natus sedecim Erphordiam, quasi ad vberiore mercatum bonarum artium, profectus fuit: operam studii sui illi nauante magistro artium bonarum, patria Francopergensi, qui nominaretur Ludouicus cognomento Christianus, vir pius & innocens ac doctus. Habuisse etiam aliunde adiumenta putatur ad studiorum cultum, & ut in hoc otio perdurare posset, popularium quorundam, qui facultatum copia abundarent. Erphordiae admodum tum iuuenis carmen composuit de infelicitate amantium, & alterum bucolicum. Quum Erphordiae eos honores esset consecutus, qui in scholasticis communitatibus tribui solentis, qui doctrina aliis præstare indicantur; visum illi fuit peregrina-

tionem operam dare, non tam, ut ipse aiebat, consideratione, quam impetu quodam animi. Erat illis temporibus in Borussia ad Vistulam Præsul Rifebergensis, gente nobili Nariscorum Iobus, vir amantissimus omnium studioforum bonarum literarum & artium. Huic conciliatus Eobanus, qui sibi cognomen tum patriæ sumserat, & ante Eobani nomen Græcum ponere voluerat, quo Sol significaretur, ut esset appellatione tota HELIVS EOBA-NVS HESSVS; (reddidit autem causam, cur *Helii* nomen asciuiisset, carmine quod edidit Erphordiae) Præsuli igitur Iobo conciliatus Eobanus, fuit mirum in modum gratus. Admirabatur in adolescente vir prudens vim ingenii, & simplicitatem amabat, & perpetuam sibi illius familiaritatem pollicebatur. Ideoque beneficiis variis obnoxium sibi reddere cum studebat. Scripsit tum Eobanus & alia quædam, & ad imitationem Ouidianam Heroidas, quas postea retexuit, & nimis futiles inde fabulas exemit, ac multo meliora & grauiora fecit omnia. Est autem & primum opus memorabile, & eo etiam nomine spectandum, quod initia complectitur facultatis poeticæ, & specimen Eobanici ingenii; præsertim quum non incubuerit ille in compositionem, sed, ut mihi sæpe retulit, maximam partem animo suo

composuerit & absoluerit eques, dum comitaretur forte Præsulem, aut ad venationem, prouheretur, aut mandata itinera faceret. Erat consilium Præsulis, vt Eobani opera ad scripturas vteretur, & negotia ea quæ requirunt civilem prudentiam, & ad obeundas legationes, si quando aliquis ad vicinos Principes mittendus esset. Curauit igitur Lipsiæ comparari libros, quibus descriptum ius comprehenditur, studio primum Imperatorum, deinde imitatione Pontificum Romanorum, ideoque coepit Ius civile & pontificium appellari. Sumtibus etiam liberaliter instructum Eobanum ad hoc studium Lipsiam misit. Quo venit, quum ego in prima pueritia ibidem discipulus essem optimi & integerrimi viri Georgii Helti Vorchemii, cum vestitu aulico; ea erat talaris vestis, vt tum consuetudo ferebat, punicea. Ipsum eo tempore fuisse Eobanum oportet natum annos viginti quinque. Nam incidit hoc in annum Christi Iesu MDXIII.

VIII. Erat iuuenis ille pulcherrimus, corpore firmiter & procero, & membris elegantibus, facie plane virili & ore severo, barbaque conspicua ac profunda genæ totæ vestiebantur. Neque ego facile existimo fuisse quenquam, a primo ortu, cuius habitus atque constitutio

ac

ac species cum Eobanico corpore conferri, nedum huic vt illa præferri possent. Omnia etiam quibus exercendo corpus reddi solet quum agilius tum robustius, studio sibi habuerat; vt luctaretur, vt illos gestus dimicationum & chironomias disceret, vt saltaret, vt nataret. Neque in vlllo genere facile alteri æqualium cedebat. Est ad Riseburgum piscina spaciola, neque vlla parte sui non diuitat ripa vna huius ab altera ter mille passibus: quam etiam, propter hoc quod narraturus sum, ipse quum in Borussiam aliquando venissem, & illo in oppido pernoctassem, diligenter fui contemplatus. Solebat in ea interdum natare Eobanus, & natando etiam certare cum æqualibus. Quodam die quum vestes reposuisset ad ripam quæ oppidum spectaret, & demississet se in piscinam, quod ad alteram illius ripam posse se natando procedere gloriatus inter suos fuisset, illo quidem perexit; sed tum demum considerauit animo suo, quam longo ambitu sibi nudo ad vestes redeundum, & quod pagi etiam transeundi aliquot essent. Itaque pudore nuditatis demersit se denuo in aquas, & continuata natatione confecit ad sexies mille passus, potius quam se vllius hominis oculis in via nudum offerret. Erat autem in hoc ingens verecundia, quæ etiam sene-

B 3

scen-

scientem profecuta, ita ingenium hominis temperabat, ut moderatio illa ad augendam rem ei, ita ut fit, noceret.

IX. Quum autem non posset non sentire, quantum & ingenii & corporis viribus valeret, & esset in eo animus excelsus, quo fieret ne aliis inferior haberi facile pateretur: non ut se ullis praeponeret, aut sua bona ostentaret, id quod ab eius summa humanitate longissime abfuit; sed ne, non praestando quod posset, sibi ipsi contemptus autor existeret: unum vereor ne nimis iuueniliter & incogitanter non deliberaverit, sed ausus fuerit facere, quo & ingenium debilitaretur diuinum, & excellentis corporis quasi soliditas labeficeret. Putauit enim se etiam inter poculorum certamina, quae maxime tum in aulis certabantur, & a nobilitate frequentabantur, non vinci ab altero oportere. Aduerunt in illa loca etiam vina plenissima. Sed potus coquitur quum alibi, tum maxime Gedani, is qui cerebro infestior sit fumis suis, quam vini cuiuscunque ingurgitatio. Ac est ille quidem hoc quoque consecutus, ut de palma in isto genere cum Eobano contendere vellet nemo. Sed breui tempore repletionem nimiam iuvenile corpus grauiter afflixit, & vires nonnihil enervauit. Narrabo hoc loco, etsi mihi res non

non placet, & saepe indignatus fui animo meo, hoc etiam malum corripuisse Eobanum, & communem cladem nostrorum hominum deploraui, quum illi dicerem: ita tum se ipsum oppugnasse, ut castella & arces solerent tormentis. Sed quamuis iucunda mihi mentio non sit, tamen quia scitum est, narrabo quid inter eum & gloriosum alterum potorem acciderit. Aderat forte Eobanus in conuiuio. Eodem venit ille quoque. Et iussit intro ferri vas grande ligneum, quo apportari de puteis aqua solet, (nos situlam aut urnam possumus, ut opinor, nominare) cuius generis minimum capit ad congios duos. Id posuit in medio repletum Gedanensi cereuisia. Ac praefatus quaedam, quae comperisse se diceret de strenua potatione Eobani, petiit ut ebiberet illud vas, sibi quoque propinaret. Hoc si fecisset, praemium se iam ei tribuere annulum cum gemma pretiosa, quem detractum de digito in vas illud abiecit. Eobanus nihil cunctatus, neque multa locutus, non enim solebat, arripit vas, & non longo tempore assumpto euacuat bibendo, & quum euerteret, sicut fertimos compotantium, decideretque annulus in mensam, applaudere illi omnes, & inprimis prouocator, & annulum donare, ac incredibile se factum cognouisse dicere. Tum Eo-

banus toruiore vultu, vt consueuerat in commotione, cum intuitus, Quid tu, inquit, mercede potare censes? ac reiecto ad illum annulo: tuum, inquit, annulum tibi habeto, & idem quod ego feci in vase isto euacuando, vt promisisti, facito. Tum ille ostentator inchoatam rem quum perficere non posset, ab omnibus derisus, & in conuiuio obrutus somno relictus fuit. Hoc igitur illi incommodi, vel infelicitatis potius, ab axe Boreo inflictum fuit. Etsi autem me non fugiebat, hæc futilia visum iri quibusdam, non etiam nullis frugalioribus externorum hominum inepta, tamen ad narrandum hoc me de iuvene Eobano, quum Socratis senis exemplum, qui illum in Platoni conuiuio Psycera pene congelalem exhaurit propinatum ab Alcibiade, intuitauit; tum prompta simplicitas ad omnia, & in experiendo quiduis strenua Eobani cupiditas, hæc etiam in parte declarare visa fuit ingenii vim & corporis robur, quo vtroque eum non fuisse ad villas res malas & turpes abusum, equidem & memorabile & ipsi gloriosum esse iudico. Sed de his statuât quisque quod voluerit, ac nostra pergat oratio ad alia iucundiora.

-X. Erat Gedanensis quidam æqualis ferme ætate Eobano, neque corporis specie longe inferior,

rior, inferior tamen, pariter & ingenio minor, qui patria appellatione se *Dantiscanum* nominaret. Inter hos præclara contentio extitit ingenii & eruditionis, quum alter alterum operibus Musicis, initio sane, vt accepimus, aliquando infestius prouocaret. Sed Dantiscanus vir prudens celeriter sensit, quam longe in hoc spacio ab Eobano relinqueretur, & ingenua confessione primas Eobano concessit, & ipse aliam laudis ac præstantiæ viam ingressus fuit. Nam Sarmatico Regi se adiunxit: cuius nomine legationibus ad alios Reges & Principes functus, addignitatem & opulentiam maximam peruenit. Habuitque semper postea animo suo carum Eobanum, & non nihil etiam fortunæ suæ commoditatis ad eum transtulit, quum interdum munusculis eum augetet. Eumque vicissim Eobanus coluit & ornauit scriptis suis. Hic est Dantiscanus, qui constantissime dilexit omnes bonarum artium studiosos, & ipse ad extremum vsque senium easdem coluit, factus benignitate Regis Poloniae præsul Varmienensis. Erat autem homo festiuus & perfectus. De quo aliquando mihi clarissimus vir, virtute & doctrina præstans, summus noster Georgius Sabinus retulit, quum Regio monte ad eum forte venisset, fuisse se ab eo acceptum perquam humaniter & benigne.

Postquam abierant dies aliquot, & significasset, se Sabinus velle discedere & reuerti domum, petiit Præful, vt pranderet prius. Cœperat tum fama spargi, in pagis, qui redeunti transeundi erant, sæuire pestilentiam. Tum Præful, ecquod haberet contra morborum contagionem alexipharmacum? interrogauit. Sabinus, habere se nescio quid, respondit. Tum Præful: Nihil, inquit, nocuerit a me aliquid etiam te accipere. Habeo enim præsens remedium ad permulta, quæ iter facienti accidere possunt. Quumque dimitteret Sabinum, tradidit ei ita compositum quiddam, vt speciem vasculi haberet, in quo solent medicati pulueres asseruari. Ac prædicare cepit vsum mirabilem, & dicere, se esse sapissime beneficium illius medicamenti expertum. Quum in manus accepisset Sabinus, statim sensit, quid medicamenti esset, pondere. Nam arte compegerat Præful complures argenteos, qui de valle, vbi primum percussus fuerunt, Ioachimici vocantur, quos, ne magnificare ipse donum suum videretur, cum hac illi festiuitate obtulit. Sed exeundum nobis e Borussia est.

XI, Lipsiæ igitur ego puer & primum vidi Eobanum, & de fama admiratus fui atque venerans suspexi. Habebat tum Academia Lipsica doctos viros multos. Vnum maleuo-

len-

lentia & odium quorundam paullo ante expulerat, qui in vicinia ad Albim postea conuenit, & obiit diem suum, vir omnibus bonis carus, Ioannes Aesticampianus. Sed aderant tum eruditionis & humanitatis principes, Vitus Berlerus & Georgius Aubanus, Franci ambo. In meo autem magistro, Georgio Helto, quum neque esset ingenium infelicius, quam in quouis alio, studium vero & industria haud scio an admirabilior, quam in illo; tamen & moderatione animi & metu quorundam, quibus eum obnoxium reddebat institutum, vitæ genus, coerceretur ne familiariter cum iis se coniungeret, qui politi & exculi literis tantum videri volebant. Nam quod aliquando hi etiam liberius exultarent, vt sit, maiores nati, qui aliam rem & doctrinam illam esse animaduertent, quam de qua ad dignitatem & emolumenta ipsi peruenissent; offendi, & ex his nonnulli irasci atque repugnare nouitati, quidam etiam inuenti, qui inuidia & odio extimularentur, & studiis essent iniquiores. Id quod omnibus mutationum temporibus antea accidit, & posthac euenturum est. Sed illi, quos nominavi, minus curare veluti censuram senum, ac sua studia colere, & doctrinam horum profiteri alacriter, & tum sese cum Eobano cupidissime coniungere.

Ibi

Ibi ille, quem natura etiam a Musis aberrare non pateretur, & horror tractationis a studio iuris repelleret, oblitus voluntatis ac mandatorum Præfulis sui, pecuniam confecit, & libros grandes istos Legum atque Constitutionum diuendidit, & mox Erphordiam ad incunabula doctrinæ suæ se retulit.

XII. Paulo post venit Lipsiam Euricius Cordus, patria & ipse Hesfiacus, natus in viculo cui nomen Simus, vnde & *Simusii* cognomen tum aliquando assumebat: attulitque secum Bucolica sua, quæ Lipsiæ volentibus audire explicuit. Eum primum vidi apud meum magistrum, Georgium Heltum. Quumque caperetur animus puerilis sermonibus eruditius illius, egregiam rem esse suspicari coepi Poeticam: nam hos Poetas nominari audiebam. Hic Cordus postea medicus factus, quum a se tum liberis egregiam laudem doctrinæ posteris reliquit. Quæ esset immensa, si filio huius Valerio id absoluere, quod vterque instituerat, licuisset: qui Romæ est cum omnium luctu mortuus, & reliquit ingens desiderium non modo peritiæ & doctrinæ, sed etiam virtutis & humanitatis suæ. Cum patre autem mihi singularis vsus necessitudinis intercescit Erphordiæ: neque illo ego quinquam cognoui magis vel vehementius potius studi-

studiosum veritatis, & qui peius odisset mendacia & vanitatem. Erat autem natura asperior, & paullo impatientior, quæque dissimulare nihil fere quo offenderetur ac ferre posset. Quod in causa fuit, ut in aliquorum interdum indignationem incurreret, a quibus potuisset subleuari, si fauorem ipsorum ambiret ac retineret. Declaratur id Epigrammatis quæ edidit, & hoc ipsum studium, quale dixi, tale hominis fuisse ingenium ostendit. *Cordum*, nominarat ille se, nam editus fuerat extremo partu matris suæ. *Euricium* autem de *Henrico* fecerat Cunradus Mutianus Ruffus, qui in sodalitio Ecclesiastico Gothæ degebat. Et quum esset nobili familia ortus, neque non offerrentur occasiones illi amplissimorum honorum, quod & fratrem haberet in Principis Cæsarum aula primo loco, & ipse non modo animi ac corporis donis, sed Italica etiam disciplina commendaretur; splendori & opulentia fortunam exilem, & infra mediocritatem positam, Gothani collegii prætulit. Absit autem Gothæ Erphordia millibus passuum non multo amplius duodecim. Ad hunc primum a te, Adame, adductus, sæpe prædicaui, ut scis, me illum cognouisse optimum & sapientia ac virtute præstantissimum virum. Dignitas in hoc erat summa, grauitas autem ea, quæ artem & locum,

locum, quem tenebat, deceret, commissa illa, quidem cum comitate incredibili. Mirifice autem lætabatur, quum audiret sedulo operam dare literis iuventutem, & quibus rebus poterat in hoc spacio solebat incitare curren-tes: superstitionibus inimicus, & hospitalis in re tenui admodum, sed erga studiosos literarum tantum. Nam aliorum fere omnium, consuetudinem fugiebat, adeo ut nimis fuisse appetens otii studiorum & tranquillitatis hac in parte videri alicui possit, quam *beatam*, præscripto ædibus titulo se arbitrari significabat, ubi & hoc visebatur elogium: *Bonis cum-
Et pateant.* Sed turbarunt hanc tranquillitatem ea tempora, quorum difficultas & miseria iam inchoata ad eam perducta est tristitia & calamitatem, quam experitur & cum qua conflictatur ætas nostra. Qui autem finis futurus sit, nulla coniectura humana potest prospicere.

XIII. Solebat Mutianus, tum quidem canus, (nam annis gravis erat quum ad eum primum veni) adolescentibus studiosis literarum, qui ad se visendum accessissent, proponere materiam, quam scribendo elaborarent, & scripta postea emendare, & sæpe non admodum digna collaudare, ut hoc pacto ad diligentiam & curam studiorum excitarentur ani-

mi

millorum. Erat autem festiuissimo ingenio, & liberalibus iocis admodum delectabatur. Epistolas ad amicos scribebat libenter. Genus autem erat sententiosum orationis & incisum: quale est Politianicum, ad quod in Italia erat assuefactus. Rhythmis etiam ludebat interdum, quum quidem versus faceret sat bonos. Diuulgati quidam fuerunt de improbitate simulantium religionem. Sed ipse neque edidit suorum quicquam, neque reliquit (affirmante etiam hoc optimo & doctissimo viro Io. Marcello Regiomontano, qui adfuit quum moreretur, & in sua omnia illius potestate habuit) quod edi recte posset, & omnino se sua publicari nolle aiebat. Ac mihi percontanti aliquando causam, quamobrem tam pertinaciter premeret scripta sua, quum omnes arbitrarentur, & ego quoque putarem, eum scriptionibus operam dare; ita fieri respondit, quia sua sibi nunquam satis placerent, ideoque malle se frui aliorum stultitia. Erat nimirum ei persuasum, non facere sapienter illos, qui sua scripta facile emitterent in lucem. Præsertim quum illis temporibus non emitterentur, sed euolarent, vndique omnis generis libri. Mortuus est Mutianus Gothæ, rebus turbulentis in Germania, in dolore, ut apparebat, amissæ dignitatis & dimi-

nuta

nutæ rei familiaris, anno Christi Iesu MDXXVl. tertio Cal. Aprilis, vir magnus, & probitate, integritate, virtute, sapientia, humanitate excellens, decus & ornamentum eorum, quibus cum vixit, & patriæ, immo Germaniæ totius, & sæculi sui.

XIV. Sed ut ad Eobanum reuertar, rediit ille Erphordiam, & tum etiam Mutiano, qui antea quoque adolescentem illum fauore profecutus fuisset, quemque ipse in quodam carmine, Eobanus formatorem studiorum suorum nominat, & de quo fecerat versum, qui in ore erat tum plurimis:

Hesse puer, sacri gloria fontis eris.

Huic igitur Erphordiam ille reuersus non modo carus, sed admirationi quoque fuit. Sæpe igitur ad eum scribebat, sæpe ab eo literas accipiebat, sæpe excurrebat Gotham Eobanus, ut cum Mutiano versaretur. Audiuit tamen de Mutiano, offensum se aliquando fuisse Eobani moribus in potu: tum enim erat interdum in hilaritate ferocior; non ut laderet quenquam, sed ut esset paullo sæpe incogitantior, & minus circumspectus, atque animo remissiore. Neque quisquam tamen unquam comperit dedecus eum etiam in ista latitia admisisse, vel dicto vel facto. Verum senescen-

nescentis illius grauitas iuuenilem huius exultationem interdum non moleste quidem tulit, sed improbavit tamen. Præsertim quum in flore Eobanus ætatis, & vita liberiore, etiam amare cœpisset. Amavit autem caste virginem Erphordiensem Catharinam, quam postea uxorem duxit, & cum qua multis annis maritus vixit, & ex qua vtriusque sexus numerosam sobolem suscepit. Ea habebat patrem, honestum in ciuitate sua hominem, (illarum adium dominum, quas postea Georgius Sturciades emit, & Eobanus suis scriptis exornauit accelebrauit) qui moribus aliquanto erat durior, & senectæ ætate amarior. Accidit, ut de hoc apud Mutianum quereretur Eobanus; tum ille hoc modo respondit:

Si tibi nata placet, fer patris imperium.

Postea & socerum ille æquo animo tulit, & cum coniuge amanter vixit. Et docuit bonas literas Erphordiæ admodum tenui stipendio: quum neque tum rebus omnibus, quæ ad victum & cultum sunt necessaria, vilibus opus esset multo, neque ipse partem vel minimam curæ impenderet faciendæ rei.

XV. Non ita multo post ego annos natus octodecim, qui Iesu Christi annus fuit MDXVIII, Erphordiam & ipse me contuli, quum Lipsiæ vixissem annis quinque, & duobus

bus operam dedissem Richardo Croco Britanno, qui primus explicuit doctrinam Græcarum literarum in Germania, fuissemque etiam Mezleri & Petri Mosellani auditor. Hanc famam quum attulissem mecum Erphordiam, qui concursus ad me adolescentum optimorum complurium factus, quaque beneuolentia me plerique omnes complexi sint, tu optime nosti, Adame, omnium studiosissimus nominis mei. Sed in meum aduentum incidit discessus Eobani, qui tum adiuncto sibi comite vno, iuvene egregio, bonarum artium Magistro, Bertero, rebus atque temporibus non admodum expeditis & secundis, iter ingressus fuit, vt Erasnum videret ac conueniret in Belgio tunc degentem. De scriptis enim illius, quæ tum crebra prodibant, mirifica cupiditas erga hunc & ingens fauor extiterat omnium. Applaudebatur, quasi in scena, studiorum actori scito & artificioso. Quumque eum admirabantur & magnificiebant & collaudabant omnes, qui a Musis alienos esse se perhiberi nollent; tum congratulabantur sibi eam felicitatem sæculi, in quam delata esset vita ipsorum. Quod si quis ab Erasmo epistolam ad se elicere forte posset, illa vero ingens haberi gloria, & hic præclarus triumphus agi. Si autem accederet veluti cumulus colloquii & congressus

Era-

Erasmici, & vt ad eum alicui aditus pateret; tum demum sibi in terris is, cui hoc contigerat, beatus videri. Credebatur enim, vt erat, politici oris doctrinæ ille esse princeps, & in vno omnes contra aduersationem barbariæ satis opis præsidiique esse statuebant. Itaque interpellationes aduentantium nonnihil tædii & molestiæ illi obiiciebant, præsertim scriptionibus diuersis occupato: quæ tum a librariis magnopere expetebantur, quum nulli libri libris Erasmicis magis essent vendibiles. Venit igitur ad Erasnum Eobanus, apud Grudios tunc commorantem, & versibus compositam elegantissimam epistolam ad ipsum ex diuersorio misit; quæ cum Hodoeporico, quo describeretur iter illud, & aliis quibusdam, postea edita fuit. Erasmus quidem, siue occupationibus aliis abstractus, seu propter humilitatem aduentus Eobanici, qui cum vno comite pedes accessisset, siue in tanta salutantium frequentia: non ille quidem despexit Eobanum, sed neque tribuisse ei tantum iudicio suo, neque tam officiosus in ipsum fuisse existimabatur, quam pro sua humanitate & Eobani studio esse debuisset. Etiam postea laudauit Erasmus Eobanum remissius. Non, quod iniquior illius famæ esset, sed quod non arbitraretur, vt opinor, eum indigere prædicatione sua, qui per se

C 2

magnus

magnus esset, atque illos potius extollendos ornandosque, qui vel nullam vel non magnam dignitatem parare possent ipsi sibi. Eobanus quidem & Erasmo diligenter & prolixè gratias egit, & nomen illius postea maximopere defendit, & quum a Leo Erasmus carperetur, autor fuit ut pro illo Erphordiani eruditi contra Leum scriptis suis propugnarent.

XVI. Ad Eobanum de Erasminico itinere reuerſum, tu me, Adame, ut recordari potes, quum adduxisses, & pro me contra illum, nescio quid libere tunc dicentem, de iis quæ ad eum fuerant falso delata, multa aliquanto etiam, quam ipse, liberius locutus esses: tum quidem aditum ad amicitiam ipsius, apud quem plurimum valeres, & cui vnice esses carus, mihi patefecisti. Sed quum postea meum ingenium certius perspexisset Eobanus, sua sponte me adſciuit in gregem suum, & pro captu & ætate mea plus honoris habuit mihi initio statim quam deberetur, & quo diuturnior consuetudo & familiaritatis vsus frequentior inter nos intercedebat, eo coniunctio arctior & maior necessitudo exitit, donec veræ & deinceps inuiolatæ amicitia societas, in consensione & concordia & similitudine perpetua studiorum, cum maxima caritate consum-

summata fuit atque perfecta. Tam autem honorifici tunc fuere sermones Eobani de Erasmo, tam plena prædicatio, tanta amplificatio virtutis illius, ut nullius non animus cupiditate visendi Erasmum incenderetur: quidam etiam ut commouerentur ad idem iter statim ingrediendum, & proficiscendum eo vsque, ubi conuenire possent Erasmum, qui in Belgico non vno loco maneret. Inter hos præcipui fuere iuvenes egregii & multis rebus ornati, Iustus Ionas & Caspar Schalbus. Quorum alter annis aliquot post mortuus fuit, tum etiam ætate grandior. Ionas autem ingenii bonitate, & assiduitate studij, virtute doctrinaque & humanitate excellens, ea, quam sibi peperit, claritate nominis nunc etiam viuus fruitur, ita ut indies ab illius pietate & sapientia existimationi amplissimæ aliquid accedat. De quo minus dicendum nobis est, ne assentationis aliquam suspensionem incurramus. Etiam Ioannes Draco Francus ad Erasmum tum profectus fuit. Qui & ipse multis & variis difficultatibus exercitatus, pietate & constantia celebre nomen consecutus est, quum literarum & artium bonarum scientia iam tum cederet nemini. Vterque horum summus amicus fuit Eobani. Sed Ionas facile inter omnes amicos Eobani principem lo-

cum tenebat. Itaque vivebant coniunctissime familiarissimeque, vna crebro deambulabant, crebro domi confabulabantur, crebro etiam cœnitabant.

XVII. Erat familiæ cuiusdam religiosæ (Georgiana nuncupabatur) curator Erphordia vir humanissimus & valde prudens neque illiteratus, cui Henrico Urbano nomen. Is in Eobanico grege non ferebat postremas, ac sæpe illum cum suis accipiebat, vt res erant ac tempora, satis prolixè. Augustinianæ autem Iohannes Langus Theologus, non modo amicum habebat Eobanum, sed doctrinæ atque ingenii etiam admiratorem. Huic quum more scholastico autoritas publice docendi solenniter conferretur, inuitatus ad eam festiuitatem Lipsia aduenit Petrus Mosellanus, & secum adduxit adolescentem tum suauissimis moribus, & literarum eruditione eximia præditum, Petrum Suauenium. Apud hos perpetuo Eobanus fuit, quamdiu Erphordia manserunt, & quum de omnibus studiis differendo, tum hilariter vna viuendo, hoc est consecutus, vt ab his ad opinionem iam de ipsius excellenti ingenio & doctrina præstante conceptam, summæ humanitatis & singularis virtutis persuasio adiungeretur. Quorum alter is vir fuit, vt nemini fere est obscurum, qui

fan-

sanctitate vitæ & cognitione & scientia bonarum artium & literarum non facile ulli cederet; alter adolescens genere nobili, & quem natura sua ad magnificos conatus duceret, difficile & arduum virtutis iter ingressus, ad dignitatem & opulentiam maximam peruenit. Cum Georgio Spalatino, sanctissimo & politissimo viro, veteris necessitudinis singularis Eobano vsus intercedebat, vt & cum aliis quibusdam, de quibus mihi ignotis quæ narrarem non habui. Habebat inter suos & populum, quem valde diligebat, Io. Ortum, integerrimum & spectatissimæ fidei hominem; & perquam eruditum & festiuium iuuenem, Nosenum Silesium, cum quibus libenter & multum versabatur. Christophorus Hacus, qui melicis carminibus faciendis præstabat æqualibus omnibus, & Valentinus Capella iuuenis ingeniosissimus & eruditissimus, vna cum Groningo & Eccilio, affectæ erant Eobanici, & ad se sæpenumero eum abducebant. Sed ex omnibus familiarissime complectebatur Martinum Hunum, ad quem Medicinæ encomium, in versus de Erasimica oratione translatum, conscripsit; & affectione præcipua in prima adolescentia cognitum constantissime diligebat Petreium Aperbachum Erphordensem, iuuenem ingenii cultu & eruditione

C 4

do-

doctrinæ excellentem, sed ægrum pedibus & valetudine aduersa perpetuo laborantem, qua impeditus eo, quo natura studioque impellebatur, progredi non potuit. Hunc, quum per iocum apud suos se regem faceret, *Ducem* ipse solebat appellare: significans proximum locum a se quasi, in gubernatione regni musici, illi deberi. Sed hoc vnde natum sit, vt *Regem* se nominaret, & ipse ostendit carmine quodam, & ego breuiter exponam. Optimus & doctissimus vir Iohannes Capnio, in quadam ad ipsum epistola, alludens ad Hessi nomen *ἑσσην* eum appellauerat, & versum adduxerat Callimachi de Ioue, quem hic negat Hessena Deorum forte esse factum, sed virtute & præstantia sua. * Ex eo in sodalitiis quum Rex *Hessus* vocitaretur, hoc ioco postea utebatur, vt se Regem & alios regni procures faceret. Nullo enim non modo cruento, sed ne dentato quidem dicto, ludere Eobanus solebat. Neque reperiatur inter omnia scripta ipsius vllum, quo laudatur fama, aut nomen proscindatur alterius. Nisi quod nescio quid in Leum indignationis euomuit suæ, & quendam poeticantem Theologum aliquanto immanius retudit elegia

* *Ἕσσην* in Iouem v. 86.

Οὐ σὲ θεῶν ἑσσηνὰ πύλοι θεσπν,

Non te deorum regem sortes constituerunt.

gia quadam. Quum enim Martinus Lutherus accersitus in Vangionas (vbi se coram Imperatore Carolo V, qui primum ibi conuentum habere instituisset, sistere deberet) Erphordiam illo itinere forte transiret; Eobanus & ei, cum Croto Rubiano, qui tum administrationi academicæ præerat, aliisque compluribus honoratis viris ac iuuenibus eruditis, obuiam processit, & biduo, quo Erphordia Lutherus mansit, cum eo suauissime versatus fuit. Quumque placuisset illas res & actiones describi, interque elaborationem, incidisset in manus ipsius libellus editus ab Emsero, quo Lutherum ille maledictis incesse- ret, & præpositi essent versus scripto perridiculi & mali; commotus fuit iam incitatus musico impetu animus Eobani, vt eum, qui Poeta esse vellet, Theologum tum paullo grauius acciperet & tractaret inclementius. Hæc sunt, ac præterea nihil, quæ vel ioco vel serio ad alterum exagitandum scripsit aut dixit. Etiam a Philippo Melanchthone aliquando rogatus, vt optimorum versuum pulcherrima opera elaboraret, & componeret rem deterrimam & turpissimam, & sibi hanc operam daret; primum miratus & requirens, quidnam rei res illa esset? quum audisset Calumniæ descriptionem a Philippo expeti; se quidem facere

non posse dixit, quin ei gratificaretur, itaque hunc laborem se esse suscepturum, quamvis argumentum esset alienum a moribus & ingenio suo, qui neque ioco neque serio, neque monendi aut præcipiendi etiam causa, soleret insectationes aut reprehensiones usurpare. Usque adeo a toto hoc genere inquirendi in aliquos, & vitia aliorum notandi ac exagitandi, animus & voluntas Eobani abhorrebat. Nam post multos annos, quum vna Norimbergæ viueremus, quid consilii agitare cœperit, quum ad se tum me defendendum, quod vterque indigne tractari videretur, a quo minime deberet, quoniam repressus conatus fuit, silentio tegam, quum postea tum eorum, ad quos illa res pertinet, causa.

XVIII. Sed vt redeam ad institutum, Eobanus in hoc sodalitie, quod augebant Iustus Menius, cui neque studio veritatis & bonarum artium, neque laude officii facile reperires quem posses antepone; & is cum quo ego fraterno amore coniungebar, contubernalis meus Ioannes Francus, qui *Portunus* a nobis cognominabatur; & Megobachus, neque corpore neque ingenio admodum dissimilis Eobano; item Iacobus Micyllus; & Antonius cui *Musa* Eobanus cognomen fecit, vir postea in re ecclesiastica illustris; & pueri adhuc Valen-

lentinus Paceus, cuius nunc etiam pietas, doctrina, eruditio celebris est; & Daniel Stibarus, quo neminem cognoui vnquam flagrantiorum cupiditate discendi, quum innumera- bilia ad perseuerandum illi impedimenta obicerentur, quique longius dignitate progressus, voluntatem tamen erga studia & studiosos bonarum artium constantissime seruat; & alii complures, quibus incensis optimarum artium studiis referta erat Erphordiana Academia: in hoc igitur coetu ille tum, virtute, eruditione, facultate, scientia literarum, dignitate excellens, optimos autores linguæ Latinæ explicando operam nauabat discere volentibus. Alliciebat autem fama nominis Eobanici inuitabatque permultos, vt in Academiam Erphordianam vel discendi causa migrarent, vel ad visendum saltē Eobanum excurrerent. Inter quos venit eo anno, quo post congressum celebrem illum Lipsicum Mart. Lutheri & Io. Eccii (qui, autore illustrissimo Principe Georgio, ad controuersandum publice Lipsiam venerant) pestilentia contagio Lipsiæ infesta fuit: tum igitur ad nos venit æqualis, & qui fuisset aliquando condiscipulus & contubernalis meus, Sebaldus Munsterus Noricus, qui postea summos honores studiorum consecutus, Iuris publici doctrinæ præfuit Wittenbergæ. Quum-

Quumque pietate, & integritate, & probitate, fide, virtuteque excelleret, sæpe nominis Eobanici memoriam renouare honorifica mentione, & prædicare solebat, se vnum omnium illum cognouisse, quum eruditione literarum præstantissimum, tum minime opinionis aliorum cupidum, tum vero ab omni fūco & simulatione remotissimum, & eum qui neminem ab usu humanitatis suæ excluderet.

XIX. Sed Eobani, quo tempore quasi decurrens spacium suum ætas vigeat, & incitabatur studium, eo hæc studia, bonarum inquam literarum & humanitatis, malignius augebantur, horumque magistri atque doctores negligentius subleuabantur ab iis, quibus solis ea res tum in manibus erat. Ac Mater-nus quidem, insignis illa tempestate Erphordix Theologus, non nihil contulit ad culturam harum. Sed ad quem Erphordiam me primum contuli, Georgius Pætus Vorchemius, vir is de cuius pietate & præstantia si commemorare vellem, quæ utrique nostrum, Adame, nota sunt, iam nouum argumentum oriretur, & aliud scriptum texendum esset. Ille vero tum quicquid potuit clam palamue, suis & aliorum viribus, facultatibus, gratia, autoritate, facere & moliri, in eo neque labori & studio peper-

pepercit, neque inuidiam fugit, neque odium pertimuit, quo minus ea ageret, consuleret, reperiret, institueret, quibus professio optimarum literarum atque artium vndique fulciretur atque sustentaretur. Qui si diutius vitam conseruare potuisset, (dicam fortasse, beneuolentia erga illum copiosius, sed vere me dicturum esse existimo) & staret illa schola, & dignitatem ac nomen retineret, quæ quam ruinam fecerit, non possum sine maximo dolore cogitare. Erat Crotus, cuius paullo ante feci mentionem, ab antiquo notus Eobano, vir doctus & egregius, sed quum ingenio vario, tum mutabili sententia. Is magistratu functus regendi Academiam, Fuldæ primum concessit, & in Borussiam postea discessit. Indeque reuersus alienauit a se multorum studia, nescio qua de causa, vel nolo potius perscribere, ne quem viuentem colui, ei mortuo obtruncare videar. Degebat tum (vt significauimus) in familia Augustiniana cognitione utriusque linguæ instructus, & varia ac multiplice doctrina præditus, Iohannes Langus, cui Eobanus fuit amicissimus. Hic postea in confusione, omnium solus sua diligentia, studio, industria, & ecclesiasticam rem & scholasticam sustinuit Erphordix, vna cum Georgio Sturciade, vsque ad annum fatalem, non modo ipsis sed Germa-

mania, quo vterque sibi quidem neque præmature neque infelicitè, sed Reipublicæ intempestiue & luctuose decesit.

XX. Hic Georgius Sturciades singulari me amore, quum primum Erphordiam ex Italia, rursus venisset, complexus fuit, ut a natura ipsa nos quasi copulari appareret, meque recepit in ædes suas, quas de foceri Eobani hæredibus emerat. Et multis postea beneficiis auxit ornauitque iudicio suo, quum tantum tribueret tam iis quæ a me disputabantur, quam commendationibus & testimoniis, ut me non vereretur sæpe grauisimarum rerum autorem nominare, & nihil vnquam de altero petenti negauerit, neque si quid a me affirmaretur dubitando reddiderit incertum. Cum hoc designatus fui & mox renunciatus decimus nonus secundo, ut opinor, loco Magister optimarum artium, declarante iudicium de nobis eorum, qui suffragia tulerant, Eobano Hesso, qui tum luculentam habuit orationem, ut fertur mos Academiarum. In renunciatione Sturciades non adfuit, reuocatus in patriam iis negotiis, quæ in aliud tempus differri aut negligi non deberent, neque possent. Petiuerat vna hunc honorem Antonius Niger, laudatissimus inuenis, cuius nunc splendor nominis & famæ claritas multis nationibus innotuit.

Sed

Sed huic quorundam tum ieiuna maleuolentia quum maxima ipsius gloria obstitit, neque quicquam causæ reperiatur, quam quod bonarum artium & studiorum humanitatis avidior, & in his colendis fuisset liberior. Aliam igitur ingressus viam, nos petitores auerit, & frementibus inuidis consecutus id fuit quod hi negarant, aliquanto quidem, ut ita dicam, pomposius & splendidius, quam ipsi conferre potuissent. Hic annus fuit Christi Iesu MDXXI incipiens. Iunxit autem amicitiam cum Eobano Sturciades quum Erphordiam venisset, quam postea sanctissime & fidelissime conseruauit atque coluit. Sed tum in Italiam rediit, & abduxit secum Euricium Cordum, qui adiutus a Sturciade auctoritate publica ibidem Doctor Medicinæ renunciatus fuit. Eo anno & nos Erphordiam reliquimus, iam disidiis & tumultuatione quatefactam, & pestilentia lue infectam. Reuersus autem ex Italia denuo Sturciades, quem se erga Eobanum gesserit, de Eobanicis scriptis potest cognosci. Is enim erat Eobanus, qui merita aliorum non modo tegendo non obliterare, sed prædicando etiam amplificare soleret. Quamuis autem hæ res fortasse exiles & parue esse videantur, tamen de Eobani & Sturciade vsu quum caritatis singularis, tum fidei, liberali-

ralitatis, memoria, exempla pulcherrima relicta esse statuo.

XXI. Etsi autem multis de causis abhorret animus ab indicatione fortunæ Eobanicæ, quæ ingenio, doctrina, virtute, studio illius, reuocanti forte ad humanæ rem intelligentiæ rationes, indigna fuisse videatur; tamen postulat fides mea, ut non prætereatur silentio id quod quum verum sit, tum apud prudentes diminuere existimationem viri nequeat. Ut enim alia innumerabilia quum disputata sapienter, tum gesta præclare, ad paupertatis gloriam & ignominiam diuitiarum, taceam: quid Solonis (cui in procliui esset principatu ciuitatis, florentis opibus ac viris, potiri, si vellet) elegia canat videamus, de nostra quidem, si placet, conuersione. Sic igitur ille:

*Diuitiis auget multos fortuna scelestos,
Atque bonos nulla commoditate
leuat.*

Nos

* Versus Solonis græci sunt apud Plutarchum (qui alias inter Theognideos referuntur) in Vita fol. 79.

Πολλοὶ γὰρ πλεῖστοι κακοὶ, ἀγαθοὶ δὲ πένοντο.
Ἄλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς & διαμεψόμεθα
τῆς ἀρετῆς τὸν πλεόν.
ἐπεὶ τὸ μὲν ἐμπεδόν ἐστι,
χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλοτε ἔχει.

*Nos tamen haud ducemus opes virtute
priorēs,*

Hæc est certa, illas fors regit instabilis.

Quum igitur Eobani eo ferme tempore admodum in angustum cogerentur copiæ, ut ait Terentius, & publicus respectus penitus illi subtraheretur, & priuati pauci (inter quos principem locum tenebat Sturciades) subleuarent hominum doctum probumque & innocentem, & quod erat caput, amicum, deliberantibus his de salute propemodum quum ipsius, tum liberum; placuit quæstuosæ eum arti cuiuspiam operam dare, non iam famæ amplificandæ causâ, sed ne fame laborare mox cogeretur. Atque autores illi fuere amici, ut medicinam disceret, quoniam priores conatus forenses parum successissent. Hoc ille, fretus potissimum ope & adiumentis a Sturciade, cupidissime amplexus fuit, & statim libros comparauit, & illas res studio maximo cœpit cognoscere. Etsi autem ad factitandam artem progressus non fuit, hoc tamen studium, quamdiu vixit, coluit, & librorum de illa compositorum lectione admodum fuit delectatus. Tum igitur Eobanus, quum propemodum a solo Sturciade retineretur Erphordia, ibi hæsit ut potuit, conflictatus cum multis aduersis,

D

ad

ad annum vsque Iesu Christi MDXXVI. Quo, autore & conciliatore Philippo Melancthone, qui & amabat & admirabatur & magnificiebat & venerabatur Eobanum eximium in modum, Norimbergam venit, ab illa ciuitate accersitus perquam benigne. In qua vna cum illo ego & Micaelus Rotingus viximus annis circiter septem, & eas literas atque artes, quas didiceramus, docuimus, sine specie quidem dignitatis, sed cum aliquo certe non vulgaris commoditatis fructu. Id quod ab aliis iam statui & dici par fuerit. Præsertim quum rationes nostræ, quasi gestæ prouinciæ, relatæ sint & extent.

XXII. Præerant tum Noricis ludis, omnes optimi & doctissimi viri, sed duo duobus primis, Iohannes Chezimanus natus, ad puerilem institutionem, qui illi ciuitati moriens ingens sui desiderium reliquit; & Sebaldus Heiden, qui, quum hæc scriberemus, suo adhuc loco laudabiliter curabat. Cum his vniuersis Eobano & nobis iucundus consuetudinis vsus intercedebat. Hoc tempore quo Norimbergæ Eobanus mansit, multa quæ ante edita fuerant recognouit & iterum edidit, multa nova fecit carmina, quæ omnia sunt in medio. Attentius etiam tum, quam ante, Græcos auctores legere cœpit: quumque ei in primis Theocriti

criti Bucolica arriderent, in illa conuertenda Latine incubuit. Quem conatum omnibus ego rebus adiuuare studebam. Nam initio multa obieciabantur illi, quibus impetus animi retunderentur: ipse vero, si quid non celeriter procedebat, haud consueuerat vrgeri. Nihil faciebat omnino anxie aut solícite, sed tantum sequebatur ductum naturæ & ingenii incitationem. Itaque abiecta semel non fere solebat resumere, neque interrupta contexere. Neque non animaduerti a lectore attento hoc facile potest, quod continuo cursu æquabiliter defluant Eobanica omnia, neque vsquam quasi ad considerationis solícitæ obices refringantur. Itaque noster Milichius dicere solebat: Eobanum solum omnium, quos nouisset, simul facere versus & scribere: quum alii prius commentando modo has modo illas partes absoluerent, & ita tandem scriberent aliquid; alii prius scriberent, & fingendo atque corrigendo demum facerent aliquid qualiumcunque versuum. Quæ quum ita se habere experirer, non nihil negotii fiebat mihi, etiam calliditatis aliquid vsurpandum, erat, ne Eobanus voluntatem perseuerandi in traductione Theocriti deponeret, neue ardor animi illius restingeretur: ita enim profecto opus illud luculentissimum intercidisset, quod

absolutum & celebrat ingenium atque facultatem Eobani, & studiosis bonarum artium ad fructum eruditionis percipiendum propositum est. In quo perficiendo & cohortationem & operam meam aliquid præstitisse lator.

XXIII. Quum autem ita peractum sit illud prope septem annorum tempus, quod consumpsit Norimbergæ Eobanus, ut me ille valde diligeret, & ego eum, ut par erat, obseruarem: quasi perpetuo vna nos futuros esse certum esset, ita in securitate quadam postea sensi fastidium tacite obrepisse mihi eius boni, quod haberem in manibus. Ac nunc quoque intelligo in ætatis iuuenilis leuitate, vel fuisse sensum præsentis felicitatis meum hebetiorem, vel hanc certe minoris me fecisse quam debuerim. Itaque quum iam carendum esset consuetudine Eobani, tum magis cognoui quantum iucunditatis mihi esset ereptum, quam copiam oblatae commoditatis animaduertentem, dum frui illa concedebatur. Etsi autem non ea, qua par fuit, cupiditate videor mihi persecutus esse occasiones familiaritatis & assidui vsus amicitiae Eobani, & multis in partibus fuisse negligentior: tamen quamdiu in illa vrbe simul viximus, nihil ego sine illo in studiis conandum moliendumue

aut

aut edendum duxi, nihil ipse suscepit, de quo non mecum communicaret, magis quod coniunctionis nostræ suauitate delectaretur, quam quod opera ei nostra esset opus. Etsi ille, quidem mihi tantum tribuebat, quantum ipsius epistolæ & alia scripta loquuntur. Inter quæ vnus totus liber carminum mihi ab illo dicatus, & relatus in Syluas eius, ostendit & quantum me (utinam meo merito) dilexerit, & quam honorifice de me senserit, & quanti fecerit necessitudinem nostram.

XXIV. Habebat autem complures alios, a quibus colebatur, & cum quibus hilariter vivere, & apud quos libenter esse consueuerat. Ex quibus vnus vicinus ipsius Vilhelmus Musicus assiduus comes erat Eobani, quotiescunque hoc agebat, ut vel prodeambulando, vel ad sodalitium se conferendo, curis animum relaxaret, & studiorum defatigationi repararet. Thomæ Venatorii consortium erat Eobano pergratum. Nam & simplex in homine libertas huic probabatur, & communitas studiorum placebat. Thomas enim & ingenio acri erat, & industria studii sui opera doctrinæ edebat luculenta. Ex cæteris, qui doctrinæ sacrae præerant, & venerabatur & diligebat maxime Venceslaum Lincum, quum propter pietatem & studium veritatis tum hu-

D 3

ma-

manitatem atque candorem, quæ in illo viro omnia erant eximia. Vincentius autem Obfopæus, non diu postquam nos venissemus Norimbergam, discescit in viciniam, vbi munificentia Marchionis Georgii illustrissimi Principis & ipse otium in studio literarum traducendum nactus fuit. Bilibaldo Pircamero valetudo obstabat, quo minus crebro ad se accerferet & inuitaret Eobanum. Hieronymus autem Pamgertnerus ex Senatoribus, vt in studiis optimarum disciplinarum & artium educatus, quam humanitatem (quæ erat summa) quum natura ei contulerat, tum addiderat institutio, ea Eobanum complectebatur, oranium cura & respectu dignissimum, & cui subleuatione & auxilio esset interdum opus: quod neque peritus gubernationis domesticæ, neque impendens vllam cogitationem rei familiari vel stabiliendæ vel augendæ, neque sollicitus de patrimonio constituendo, sæpenumero plagam acciperet, vel ab iis quibus fidem temere habuerat, vel interdum incircumspecte cum cautis & attentis contrahendo negotia, vel etiam debitis inconsiderate sese implicando. Sed amicorum studio fiebat, vt publica liberalitate, quoties hærebat, explicaretur: quam ipsum sæpe deinde magnifice, rædicasse, & nonnunquam in aliis desiderauit.

rauiffe comperimus. Dabat tum operam. Norimbergenfi ciuitati Iohannes Mylius Iurisconsultus, vir iustitia & prudentia nemini secundus, doctrina & virtute cultuque religionis multis prior. Apud hunc sæpe conueniebamus, & de illius sententia institutum sodalitiū fuit. In quo præcipui erant ipse Mylius, Micaelus Rotingus collega noster, Georgius Hopellus scriba primarius Senatus & summi viri Lazari Spengleri collega, ego. In orbem autem conuertebatur acceptio, quæ erat potus ad vesp̄eram cum bellariis. Proponere autem materiam oportebat eum, cuius partes erant vt acciperet alios, de qua tum quæreretur & disputaretur: de hac vbi verborum satis fecisse videbamur, tum reliquum tempus iocis, & familiaribus colloctionibus, atque interdum ludicris impendebatur, dum discederemus quisque ad se. Prodeambulationes autem erant quum aliis vicinis locis, tum ad vnum in Silua Norica fonticulum, ad lapidem vnum ferme vrbe distantem, qui Eobani versibus non minus perenni aqua manabit, quam Athenis quondam sempiternam, in arce olea viriditatem tenere, aut palma in Delo non exarescere potuit. Hac fere ratione eos annos, quibus Norimbergæ durauit coniunctio nostra, absumimus; præbente

illa ciuitate sedem & hospitium Musis Eobanicis perbenigne & comiter. Utquamuis illius extent & pietatis præclara opera, & beneficentiæ in alios larga munera; tamen vel hoc nomine, quæ vim & atrocitatem grassationis & populationis, & sæuitiam hostium experiri tam immanem in modum debuerit, indignissima esse videatur. De quo impediore dolore & lacrimis, ne plura scribam. Etiam hoc magis agendum esse intelligo, ut quoniam ætas nostra in hunc fatalium mutationum articulum incidit, ad ea quæ acciderint ferenda, potius nos paremus, quam ut tristitiam euentuum reddere velimus acerbiorum querelis nostris. Etsi profecto rabies sæculi huius, & mundi furor, qui indies ingrauescit, non potest non commouere indignationem vel moderatissimorum hominum. Sed hæc quamuis moerentes & animis conturbati omittamus, & ad Eobani mentionem reducamus narrationem.

XXV. Quum fere septennium confecisset Norimbergæ, sollicitatus crebris literis & magnis pollicitationibus Eobanus ab Erphordiensibus amicis, illo reuerti decreuit, quo retraheretur desiderio puerilis & iuuenilis vitæ, & recordatione laudis quoque ac decoris, quod ætate constantiore in illa Academia gesserat.

Mo-

Mores etiam ciuitatis illius admodum ei placebant. Sed haud scio an nihil impulerit illum magis ad reuersionem hanc, quam Langi & Sturciadæ semper expetita coniunctio, etsi Groningo maxime & ipso delectabatur. Rediit igitur Erphordiam anno Iesu Christi MDXXXIII. quo postea ætas pestilens fuit, quam in vicino vico cum familia nos una cum secuta hyeme transeginus. Venit autem illo cum spe eiusmodi, cui euentus non respondit. Et tamen factum est amicorum studio & cura & diligentia, ut satis commode ibi degeret annis fere quatuor: & ut ad illam scholam collapsam non modo instaurandi viam monstraret, sed rationem etiam inchoaret, quam tamen sequi vel noluerunt vel non potuerunt ii, penes quos administratio esset scholæ illius. Docuit illic publice priuatimque, cum utilitate aliorum & sua laude multa. Multa etiam scripsit, & de Græcis versibus quosdam præclare fecit Latinos.

XXVI. Post quadriennium inuitatus clementissime a Philippo, illustrissimo Hessorum Principe, Marpurgum commigravit, quum neque eum schola Erphordiana amplius liberaliter acciperet, & anni ingrauescerent, & liberi crescerent ætate & numero, & patria quoque dulcedine quadam sui insita omnibus ad

D 5

fese

fese renocaret occultis blanditiis ciuem suum. Perfecerat autem Princeps Philippus (quod tu melius nosti, Adame, non minima pars rerum illarum, quam ego) vt omni genere doctrinæ celebres & spectati Marpurgi congregarentur, quo in loco consecrato piis Musis, muniticentiaque sua stipendiis non spernendis constitutis, honeste & non incommode vitam ducere possent, in studiorum bonorum cultu, & virtutis ac sapientiæ doctrina. Ibi Eobanus & reliquum ætatis breue tempus peregit, & præclara opera multa elaborauit ingenii bonitate, & industria ingenii sui, inque primis totam Homeri Iliada conuertit in versus Latinos. Opus autem egregium atque præclarum autore & hortatore Philippo Melancthone inchoare cœperat, vt ad Christianum ritum Fastorum libros conscriberet; cuius vix paucos initii versus absoluit, & hanc decedens palmam reliquit in medio eruditis secuturæ ætatis, quam qui amico nostro Iohanni Stigelio præripiat, persuasum mihi est futurum esse neminem: a quo hilibri iam pridem expectantur, exituri propediem, vt speratur, in luceem, & nostris temporibus & auctoris famæ gloriam & claritatem conciliaturi sempiternam. Sed nihil est quod in tota vita sua præstiterit maius aut melius, quam quod Psalmos

Dau-

Dauidicos religiose & erudite in Latinas elegias transtulit: primum quidem Erphordiæ, sed denuo & maiore cum cura & assiduitate Marpurgi, vbi & præclara argumenta quaternis versibus comprehensa præposuit singulis Psalmis, vt prodierit tum vere sacrosanctum opus, omnibus, vt dicitur, numeris absolutum. Quo vir pietate insignis & casto pectore & religioso studio celebrauit æternum Deum, & omnibus non profanis neque vacoribus, occasionem de rebus diuinis cupide & ardentem commentandi præbuit. Qui est ad Deum cultus summus, & maximus ad homines fructus. Hoc igitur opus & hic labor est, quo Eobanus sibi spem singularem gratiæ ac beneuolentiæ diuinæ comparauit, & admirationem sui ac caritatem reliquit posteris: quorum nemo est, nisi improbus & malus, aut imperitus & barbarus, qui non illum hoc potissimum nomine amet & veneretur.

XXVII. Fuit autem non minus Principi gratus præsens Eobanus, quam studio ille habuerat, vt sibi hunc adiungeret, nec iocos & seriam cum ipso miscere dubitabat. In primis de simplicitate & candore & studio veritatis amans Eobanum, quod iudicium ipse posset facere, quum de eruditione doctrinæ aliis affirm-

man-

mantibus crederet. Magnopere delectabatur Eobanus latrunculum ludo, quo ferunt sæpe Principem suauiter cum Eobano luisse, quum iracundiam illius commoueret, circumventi & inclusi, dum in celeritate minus caute produceret illas calculorum copiolas. Vere enim ludebat Eobanus, neque considerationi aliquid diligentiae impendebat, neque tempus terere cogitando sustinebat. Itaque nihil erat facilius, quam, si quis calliditatis aliquid usurparet, insidiis eum vincere. Tum igitur quum cernebat se hærere, commoueri vehementer; sedita ut simul cum amissa victoria illa perturbatio resideret, vel potius abiret. Sed a iocis ad seria redeamus.

XXVIII. Erat Eobanus magnus osor superstitionum, & veritatem quum propter naturæ simplicitatem, tum liberalitatem institutionis amabat. Itaque venerabatur & colebat eos, qui illis temporibus monachorum potentiae & barbariae opponere audebant confessionem & assertionem veritatis atque bonarum artium. Quum autem his negotiis, quemadmodum sit, Principum quoque studia admista essent, (nam hoc omnibus temporibus observatum est, Ecclesiæ & Reipublicæ quasi fluctuationes aut commotas simul, aut non lon-

go intervallo sese mutuo consecutas esse) tum igitur Principibus quoque eam rem curantibus, conuentus interdum babiti, & necessariae deliberationes susceptæ fuerunt. Quum autem Princeps Cattorum Philippus illo tempore operam diligentiae impenderet stabiliendæ doctrinæ religiosæ singularem, conuentum aliquoties harum rerum causa fuit in oppido, quod in sylvis Duringiacis situm, propter crebras illis in locis æris ac ferri fodinas, & huius generis officinas, *Chalcidem* solebat nominare Philippus Melanchthon. Eo igitur, anno Christi MDXXXVII quum celebre concilium indictum fuisset, Eobanus quoque se cum Hessiacis contulit. Atque ibi Iohannem Stigelium, cuius paullo ante mentionem fecimus, tum admodum adolescentem, honesta familia gentis Duringiacæ natum, primum familiariter cognouit; & statim incredibili amore complexus, neque obscure neque falso vaticinatus fuit, quam ille facultatem Latini carminis consecuturus esset. Eam nimirum, ut tanquam Germana soboles, laudem ac nomen, quod Eobanus sibi ingenio & industria ac studio peperisset, Stigelius quasi hæreditatem legitimam ab illo relictam, paullo post adiret atque cerneret. Itaque iam tum Eobanus non aliter quam filii appellatione vocare

re Stigelium, iocari cum eo suauissime, complecti illum amantissime, materiam & argumenta interdum illi versuum faciendorum proponere, denique ita se gerere erga adolescentem, ut diuinitus animum Senis commoveri, & fauorem excitari, & dirigi iudicium appareret. Stigelius quidem quam non fefellerit præsensiones Eobanicas, quodque veluti soboles ingenua paternum genus referens, in nomen quoque illius atque decus successerit, scripta ipsius facile declarant: neque me plura de his in præsentia verba facere decet, vel ne amico viuenti atque florenti assentari fuisse, vel ne ad augendam hanc narrationem omnia vndique collegisse videamur. Hoc neque silentio est prætereundum, neque alienum videri poterit, eam a Stigelio gratiam relatam fuisse amoris Eobani, ut impense eum ille obseruaret, & reuerentia debita patri prosequeretur, & omnibus officiis viuo studiosissime inseruiret, & memoriam fato suo defuncti in terris posteritati elegantissimis suis versibus commendaret, ornatam quum epitaphiis carminibus, ut fieri consuevit, tum accurata mentione aliis in argumentis ubi locus esset, occasioque sese offerret honorificæ commemorationis de illo, aut speciosæ appellationis nominis Eobanici. De his igitur hæcenus.

XXIX.

XXIX. Ac nunc deinceps ad tristissimam narrationem, ita re poscente, procedat expositio, ut iis quæ retulimus quasi colophon addatur exitus ex hac vita, & migratio in meliorem locum Eobani: qui suo tempore miseras & afflictas multiplici clade terras reliquit, quum tamen adhuc rei aliquid, quo ille delectaretur, & spei nonnihil, quo sustentaretur, esset reliquum. Eobanus itaque in patriam reuersus, quum omnibus iis in locis, in quibus fuerat, memoriam præclaram nominis sui reliquisset, & quodam tamen, ut ita dicam, Homérico fato migrationibus exagitatus fuisset; quatuor annis & in re meliore & spe luculenta Marpurgi vixit, annoque illo, qui mortem antecessit, correptus fuit interdum podagricis & athricis morbis. Quibus quum sentiret se tentari, initio tulit hunc casum molestus. Sed ægritudinem simul ac cruciatus die mitigante, desiit queri de hoc malo, ac incidit in diuturnum ac tabificum morbum, præter opinionem omnium, qui fere alios metuebant. Propemodum igitur anno toto magis languoribus quam ægrotatione confectus, tandem III. Nonas Octobris, quum diu tacuisset, de improviso voce emissa, se velle ad Dominum suum adscendere dixit. Idque iis qui aderant approbantibus, quod arbitra-

bitrarentur in animo ipsi esse congressum cum Principe, & affirmantibus Principi id gratum fore; Eobanus nihil ad hæc, sed paullo post placido sine conclusit vitam in terris suam, & in cælum, vt significarat, hinc commigrauit ad æternum Deum Dominum suum, cui fideliter seruierat, & cuius ministeria sedulo obierat, ea gnavitate & solertia, quam ille idem ipsi fuerat largitus.

XXX. Morte Eobani nunciata, affecti omnes tristitia fuerunt, sed Princeps inprimis indoluisse huic fertur. Qui præbuit se permunicum erga relictam coniugem Eobani, foeminam lectissimam, & vtriusque sexus liberos; quibus etiam locum secum esse voluit, & munera aulica demandauit filiis, virgines & matrem commendauit illustrissimæ Principi coniugi suæ. Itaque illi marito & patre amisso, tamen sic postea vixerunt, vt orbitatis quidem & desiderii, sed nullo alio incommodo afficerentur. Reliquerat autem Eobanus, vt hoc genus solet, nihil fere suis nisi famam excellentem, & nomen celebre, & laudem ingenii, doctrinæ, virtutis. Quæ indies ad victum & cultum huius vitam minus adiumenti afferre incipiebat hæredibus, nunc etiam aliquando nocere deprehenditur.

XXXI.

XXXI. Hic est cursus, quem nos cognouimus peregrisse in terris Eobanum, & quem exponendum esse descriptione nostra duximus. Vixit autem annos LIII, menses VIII, dies XXVIII. Statura corporis erat procera & robusta, pectus latum, facies aliquanto toruior. Vt Albertus Durerus dicere solet: si illum non nosset, & imaginem expressam adspiceret, suspicaturum se, illam esse bellatoris. Et erat profecto animus in homine magnus, & qui metuere nesciret; sed voluntas minime dimicatrix aut contentiosa. Ipse neque in cibo neque potu delicatus, aut lautitiarum appetens, neque scires quo maxime præcæteris caperetur aut alliceretur. Salsis tamen pisciculis ac acido olere delectabatur, & in autumno iuglandes recentes incisas superfuso vino ita comedebat, & mustum sic bibebat, vt inde aliquid voluptatis se percipere non dissimularet. Signum, quo utebatur, erat olor per ramum lauri adscendens, & attingens capite, nubes. Quod quum depictum fuisset super ianua ædicularum, quas conductas Norimbergæ incolebat, addidit elogium horum versuum duorum:

*Nubila scandentem lauri de stipite cygnum
Hesso stemma suum libera Musa dedit.*

E

In

In aduersis, vel quicquid forte accideret quod molestiam afferret, pronunciare solebat nomen *patientie*; quo se ad ferenda tristitia confirmabat. Nihil minus ferre poterat, neque peius oderat, quam obrectationes aut criminatio- nes aliorum, quas obortas quocunque loco aut tempore etiam iracunde refutabat & coer- cebat. Mendacium neque ipse dicebat, & dicto grauius offendebar. Insidias calliditatis ne- que norat neque cauebat: itaque iniquissi- me patiebatur se ludibrio haberi, & fidem at- que simplicitatem suam malitiæ deridendam exponi indignabatur. Inter iocos hunc li- benter exercebat, vt propositum versum ali- qua parte sui mutari iuberet. Veluti in hoc: *Vitam quæ faciunt beatiorē*, quid pro vl- timo nomine numeroſe posset reponi, vt quæ- reret. Ac memini sæpe vnam aut alteram horam talibus permutationibus inter epulas nos absumsisse. Sed in his paruis exercita- tiunculis immensa vis ingenii Eobanici inno- tescebat. Versus etiam tum facere, & ad fa- ciendos alios inuitare, statim & sine vllō ani- mi cogitationisque adminiculo, neque cura inueniendi quid diceretur adhibita. In quo ge- nere proferebantur ab ipso sæpe complures versus numeris & verbis ita concinni, vt nihil fieri posse videretur elegantius, sed sensus nullus

nullus exprimebatur. Itaque memini ali- quando quosdam, qui sibi arrogarent aliquid facultatis poeticæ, deceptos fuisse, quum ar- gumentum quodpiam explicatum esse puta- rent, & quid rei significaretur quærerent. So- lebat & inuertere in conuiuio voces: non e- nim poterat quiescere, & nihil illi, nisi quod & laderet neminem & esset ingeniosum, pla- cebat, & seria tamen tum non patiebatur ad- misceri, & ostentatoribus ingenii, siue quis sapien- tiæ tum disputationes explicare, seu recitare aliquid scriptorum suorum, seu quo- cunque modo doctrinæ & eruditionis suæ spe- cimen edere conaretur, admodum irasceba- tur, eorumque ineptias interdum repudiabat asperius. Inuertere igitur solebat voces Teu- tonicæ in primis linguæ; quod erat factu ideo facilius, quia in hac omnia fere sunt primæ originis vocabula, vnius syllabæ. Ad hanc vsurpationem ita nos vsu adſuefeceramus, vt ignari negotii arbitrantur externa lingua nos colloqui.

XXXII. Hæc habui, Adame, quæ duce- rem narranda esse de Eobano nostro: cui fe- rius quidem, quam tu voluisti, & ego debui, sed fide & diligentia maxima hoc officium præstiti, & quasi iusta funeris perſolui.

Quum profecto inter præcipua bona numerem amicitia & familiaritatis usum & vinculum, quo cum Eobano Deus me coniunctum esse voluit. Qui quidem breue curriculum vitæ suæ laudabiliter & feliciter confecit, etsi molestiis non caruit, præsertim rei familiaris. Et hanc vitam in terris eo momento reliquit, quo quasi de conuiuio tempestiue discedens, ita impendentem confusionem & turbas, denique ea ad quæ nostra producit, declinando vitauit. De quibus plura nunc scribenda, & dolori perturbationique indulgendum esse, non putauimus. Eodem anno multi ingenio, dignitate, virtute, sapientia, doctrina præstantes viri diem suum obierunt; ut hunc studiis bonarum artium & excellentiæ humanæ fatalem fuisse credi posse videatur. E quorum numero Guilielmum Budæum hoc loco nominasse satis habuimus. Composuit autem, ut scis, Mycillus noster elegantissimum carmen de Eobano, quo ipso pertexuit historiolum quandam vitæ fortunæque & mortis illius. Quod est in manibus omnium. Nos etiam hoc loco apponere volumus versus quos conscripsimus, quasi ad sepulcrum Eobani apponendos, id est,

Anna Piss.

HELIO EOANO HESSO

viro optimo, principi Poetarum,
amico suauissimo

IOACHIMVS CAMERARIVS

Pabepergensis

F.

Hic situs est Hessus, patriæ tellure receptus,
Quo rediit Domino se reuocante soli.
Dum circum hac illucque vagus fert seque domumque,
Querit & Aonio præmia digna choro.
Nonnihil ille quidem reperit. Sed præmia Musis
Huius nulla satis digna fuisse viri.
Nec potuere dari, neque sæcula nostra tulerunt
Tantum, etas Hesium nosset ut illa, boni.
Gloria sera venit meritis, post fata superstes,
Inque dies melior fama sepulta redit.
Et tamen ipse suæ cognouit nomina laudis,
Audiit & tempus se celebrare suum.
Capit & ingenii de fructu commoda viuus,
Virtutisque suæ crescere vidit opus.
Sed maiora ferunt insignia scilicet anni,
Viuentis cedens quos abit ante decur.
Illi etiam eximia fame præconia, mundus
Hessò, donec erit, splendidiora ferent.
Hoc satis est. Hessi busto sepelitur in isto
Corpus, in ætheria spiritus arce manet.
Per terras bona fama volat, speciosaque laudis
Nomina Pieria testificata manu.

ΗΛΙΩ ΕΩΒΑΝΩ ΕΣΣΩ

ἀνδρὶ βελπίστῳ καὶ ποιητῇ
ἐμμελεσάτω.

Ασέρε μασάων, χωρῶντων ἔργῳ, σῶμα φοίβῃ,
Ποιητῶν λιγυρῶν ἡδυδερῶν μέλεων,
Κήρυκ' ἀθανάτων τε θεῶν θνητῶν τε δικαίων,
Ἔασον Ἐωβανὸν τῇδε κένωθε κόπον.
Δεξαμένη πατρὶς αὐτὸς εἰς κόλποισι θανόντα,
ἢ μετ' ἐν ὅκ πολλῶν ναίειν ἀναστήσεων.
Ἐντα μαρμαρόμηνον τε φθινώδεσιν ἡρέμα νέσοις,
Ἦσυχον ἐλλογίμῃ τέρμα λέλογχε εἰς.
Ὀλβίῳ ὅς κλέει ἐσθλὸν ἐν ἀνδράποισι λελοπῶς,
Κεῖθεν εἰς ἔρανίς ἐνυ βέβηκε δόμος.
Εἰδέωσ' ἐν τῇ γῇ πολυπλαγκτο σὺν ἡσὶ κέκμηκεν,
Ἐχ' ἀφ' ὁμηρεῖς καὶ ποδὲ δῆτα τύχης.

ὁπὸ

Ἰωαχίμῃ Καμεραριάδῃ,
μνυμόσυνον σεβασμῶν.

10

Quam in precedenti Narratione p. 25. & seqq. Muti-
ani Ruffi facta sit mentio, haud inconueniens duxi-
mus, Jo. Stigeli in eius obitum subnectere carmen; cum
epistola ad Camerarium, qua ipsi pro Narratione hac de
Eobano sibi missa gratias agit. Et quia p. 64. Mycilli poe-
matis in obitum ejusdem Eobani Camerarius indicium
fecit, adiungemus & istam, prolixam licet, elegiam.

IOHANNES STIGELIVS

IOACHIMO CAMERARIO

Neapoli otium cum Musis
agenti,

Amico carissimo

S. D.

DOmo abfui hoc octiduum. Reuerso ve-
ro redditum mihi fuit scriptum de Eoba-
no tuum, quod perlegi auidissime. Ac mi-
rum est quantopere me delectarit, non mo-
do historia illorum temporum, sed etiam ge-
nus dicendi tuum, purum ac elegans, & ad
res quas exprimit accommodatissimum. Sed
quia idem mihi accidit, quod sitientibus so-
let, qui festinabundi primo impetu oblata
frigida, ingurgitantes sese, velut abutuntur,
mox quum paullatim degustant, maiorem
voluptatem ex sensu saporis capiunt; sic ego
non remittam hoc scriptum, priusquam eius
iucundissima lectione sim cum intimæ dele-

stationis sensu ita exsatiatus, vt aliis quoque inde commemorare, quæ meminerim, possim. Quod cupis a me adicii, si quid mihi de illis temporibus cognitum sit, plane tu quidem ex lapide argentum. Quid enim sciam ego? qui admodum adolescens in notitiam Eobani iam senis perueni. Mutiani nomen celebre iam puer sum admiratus vnice, de quo quidem audiui permulta, cognitu atque imitatione digna, quæ successu temporis publica perturbatio mihi exemit e memoria, aut ita pervertit, vt res quidem aliquas commemorare possim, ordinem tamen & modum amiserim. Memini me puerum Epitaphio complexum fuisse eius laudem. Id subscripsi vt legeres, meumque desiderium, quale iam tum fuerit, istorum hominum, quos audiebam Poetas salutari, agnosceres.

HActumulatus humo Ruffus post fata quiesco,
Ardua qui clarum nomen ad astra tuli.

Prima mihi tenera dedit incunabula vita

Heslia, fertilibus terra recincta iugis.

Quum mihi adhuc viridi vernaret flore iuuentus,

Nec tegetet flauas hispida barba genas,

Ingenuas colui Musis ducentibus artes,

Deditus & studiis nocte dieque fui.

Hinc didici rerum varias cognoscere causas,

Quasque parit miras terra fretumque vices.

Inter-

Interdum versus & blanda poemata finxi,

Qualia Virgilium nemo probasse neget.

Quumque mihi vires prouectior adderet etas,

Cura mihi leges noscere iuris erat.

Sed mihi cum Musis & caris viuere amicis

Plus placuit, trepida quam fora lite sequi.

Omnia nam quoniam stulte transire videbam,

Non sitii tituli nomina magna mei.

Aulas precipue fugi, quia fulmen ab aulis

Et fortuna piis sepe sinistra venit.

Aurca me blandi fouit clementia cæli,

Qua iacet vberibus Gottha beata iugis.

Hic ego traduxi tranquille tempora pacis,

Hic mihi pax vere vita beata fuit.

Inuida me donec caro mors abstulit æuo,

Et mea sub viridi condidit ossa solo.

Quam bene nunc recubo florentibus obsitus herbis:

Hoc mihi perpetui nominis omen erit.

Et quoniam hæc scribo stans in procinctu, ad signum horæ datum recta iturus ad auditorium meum, finem epistolæ faciam. Scribam vero proxime copiosius, & mittam carmen de Spiritu sancto. Optime vale in æternum. Ienæ D. XIX. Septembr. anno MDLI.

E 5

IACO-

IACOBI MYCILLI

Epicedion

HELII EOBANI HESSI

Poeta.

ERgo in te saeva tantum potuere sorores?
 O decus, o nostri dux Eobane chori?
 Nec tua te virtus, neque tot texere Camæna,
 Legitimum caderes quominus ante diem?
 Idque placet superis, quorum violenta potestas,
 Iam prope præclarum quod fuit, omne tulit.
 Dum prædam totus de nobis exigit annus,
 Et spoliū ex omni mors petit atra loco.
 Plangite Pierides, ereptum plangite vatem;
 Et mecum vestri funera flete ducis.
 Plangite quæ celsas colitis, regna Hæcica, sylvas,
 Cattiades nympha, monticolaque dea.
 Quas circum Veraris fluit, & quas Aedera circum,
 Et noua facturus flumina Pulda suo.
 Plangite, & hoc veteri persoluite munus alumno,
 Et rumula flores & date ferta nouo.
 Non illo melior fuit, aut reuerentior æqui,
 Secula quot retro multa tulere diu.
 Nec vestros æque quisquam celebrauit honores,
 Quicunque Aonijs fontibus ora rigant.
 Et tu Lane pater, pendente in pectore barba
 Hæcica qui longo limite rura secas.

Exue

Exue fronte comas, viridantes exue amictus,
 Et noua cultoris funera plange tui.
 Vlva tegat faciem, madidique vligine crines
 Mæsiariam cultu deteriore notent.
 Nec tibi nunc placeant tenero iuga consita Baccho,
 Aut virides ripæ, lætaque culta satis.
 Nec te detineant calidis vernantia lymphis
 Labra, quibus certa membra leuantur ope.
 Hic ubi vicinos iacet inter Amisia colles,
 Hæcicaque occiduum distinet arua nemus.
 Sed mæstus sine honore means, sine numine, lento
 Ad dominum Rhenum gurgite perfer aquas.
 Atque aliquis cernens defectam flumine ripam,
 Quis nouus hic annis squalor, & vnde? roget.
 Quis Deus huic animum, quis cursus tantus ademittit?
 Vt gressu solito languidiore venit?
 At tu, sed modica gemebundo murmure vocis,
 Ille meus, dicas, ille Poeta iacet.
 Mortuus ille iacet, cuius super æthera cantu
 Flumina cum Nymphis nota fuere meis.
 Atque ita dilapsus tacito sub gurgite, tecum
 Hæc vatis desse tristitia fata tui.
 Nec te pœniteat tanti, pater optime, luctus,
 Aut hæc non tali digna dolore putes.
 Non magis Odryssias celebrauit carmine sylvas
 Orpheus, & ripas Strymonis vnda tuas.
 Nec plus Virgilio debent tua flumina Minti,
 Quamuis huic ætas non tulit vlla parem.
 Flumina quam debent & Nympha Cattiades Hæcico,
 Et quantum Hæcici restat ubique soli.
 Ille tuas primus celebrauit carmine gentes,
 Ille dedit ripis nomina, Lane, tuis.

Nec

Nec notus Veraris fuerat neque Fulda futurus,
 Flumina quæ pariter iuncta Visurgis habet.
 Nec quantum a Mœni distat vagus Adrana ripis,
 Cognita cum populis pars foret illa suis.
 Si non hic patria seruasset nomina terra,
 Atque eadem illius carmine nota foret.
 Precipue sed enim tanto se iactat alumno,
 Quæ vetus a Franco vertice nomen habet.
 Mons ubi Christipara celeberrimus ade puella,
 Dum culta est nati mater honore, fuit.
 Nunc melior postquam pietas caput extulit orbi,
 Desertum tacitis Aedera lambit aquis.
 Quas sedes olim Francos tenuisse colonos,
 Deque suo nomen, fama, dedisse loco.
 Hic ille in superas primum fuit editus auras,
 Hic patria, hic illi tecta domusque fuit.
 Hinc puer egressus, late virtutibus orbem
 Et fama impleuit nominis ipse sui.
 Namque ut prima tibi repetam cunabula vita,
 Et versu peragam tempora tota breui:
 Ter quinque exierant post natum sæcula Christum,
 Sublatis annis sed quater inde tribus;
 Quum satius ille nouas partu procescit in auras,
 (Lux fuit hæc Nonis Iane dicata tuis.)
 Non huic diuitiæ, non magnum nomen aurorum,
 Non domus antiquis fulsit imaginibus.
 Qualia mirantur vulgo, qui facta parentum
 Quam sua laudari pulerius esse putant.
 Sed simul ac tenera matris progressus ab aluo,
 Vagitus infans edidit ore nouos.
 Mox facilis prima fuit huic ætate Minerva,
 Quæ natum gremio suscipit ipsa suo.

Hinc

Hinc puer ingenii vires, animosque valentes
 Indidit, & pulcri fecit ut esset amans.
 Ac velut vda solet formas, quascunque iubebis,
 Cera sequi, & faciem ferre subinde nouam;
 Sic Dea crescentem cunctos molliuit in usus,
 Pectoraque ad studium quodlibet apta dedit.
 Atque ita seu verbis gauderes lege solutis,
 Non facile in prosam largior vllus erat.
 Seu malles numeris certis adstricta modisque,
 Pangebatur spacio carmina mille breui.
 Quin etiam verbis mutabat Græca Latinis,
 Vertebarque modis scripta vetusta nouis.
 Usque adeo partes pariter pollebat in omnes,
 Nil huic inuictum, quod modo veller, erat.
 Quamuis ipse sacras solitus præferre Camænas,
 Ante omnes semper carmen amabat opes.
 Carminibusque diem peragebat, carmine noctes,
 Nec semel & fessi somnia carmen erat.
 Sive aliqua ista fuit natura causa latentis,
 Quæ cœni iure suo mollia corda rapit,
 Hæcque ita nascenti vires infudit ab ortu,
 Quæ noua cum niueo fulsit olore Chelys.
 Seu vere Deus est, quo vatium corda mouentur,
 Atque iidem taciti numinis instar habent.
 Certe non ækis studiis potioribus usus,
 Quacunque huic esset sors obeunda fuit.
 His puer accreuit, medio his excelluit æuo,
 His etiam clausit fata suprema senex.
 Ergo idem primis nuper digressus ab annis,
 Tempora quum lustris conderet æta tribus;
 Turpe ratus patrios nunquam liquisse penates,
 Contentumque vno consensuisse solo.

Partim

Partim etiam accensus fama potioris amore,
 Doctorumque volens ora subire virum.
 Egredius patria, Thuringam venit in urbem,
 Cui vada fecerunt nomen Hiera tua.
 Nam fuit hac quondam sedes celeberrima Musis,
 Artibus & studiis nobilitata bonis.
 Quum nondum placidas premeret discordia diuas,
 Aurea que sancta tempora pacis amant.
 Hic operum specimen primum dedit ille suorum,
 Hic sua tantari carmina seque tulit.
 Dum sedet & gracili celebrat modulamine sylvas,
 Pastorumque casus, amnicolasque deas.
 Et prius ignotis componit nomina ripis,
 Siue tuis Vnster, seu vage Nesse tuis.
 Ergo nouo ornatus pridem cognomine vatis,
 Et fretus Musa carminibusque suis;
 His quoque digressus, quas tunc celebrauerat oras,
 Dis sita longinquo venit in arua solo.
 Terra iacet gemino procul hinc subiecta Trioni,
 Pigra gelu, & cana tota perusta niue.
 Hinc mare, quod Venedi saclo coluere priore,
 Vnde gerunt tenere succina lecta nurus.
 Illic externum secludit Martius hostem,
 Sanguine qui passus Sarmata viuit equi.
 Ipsa vetus retinet generosa Borussia nomen,
 Teutonici quondam militis ense potens.
 Huc illum euectum per millia multa viarum,
 Seu fors, seu rerum certa cupido tulit.
 Hic cum Principibus crebra versatus in aula,
 Et mores hominum vidit & ingenia.
 Atque uti Neritius quondam iactatus Vlysses,
 Hinc circum terras, hinc freta longa maris,

Antiphatem, & Cironas vidit, seuumque Cyclopa,
 Lotophagumque dapes, Alcinoique nemus;
 Sic ille in media variorum gente virorum,
 Nunc bona, nunc a quo pertulit ore mala.
 Sed neque tunc Musas posuit, curamue priorem,
 Aut studio versus languidiore dedit.
 Nam partim alterno descripsit carmine sensus,
 Quos mandat Diuo Diua puella viro.
 Partim etiam syluis cepit mandare canoris,
 Res, populos, urbes, funera, bella, viros.
 Hic ubi vicino mergit se Vistula ponto,
 Et secum raptas in mare vertit aquas.
 Quanquam etiam nigri cantantem ripa Viadri
 Audit, & Sueni proxima terra soli.
 Et que Sarmatico paret Cracouia regi,
 Vrbs vetus, & veteri nobilitata schola.
 Qua loca noscendi studio prius omnia vidit,
 Quam vidit vita bis duo lustra sua.
 Hinc tandem patrias animum reuocauit ad oras,
 Et redit in terras lenis Hiera tuas.
 Quasque nouo quondam celebrabat carmine sedes,
 Has iterum veteri captus amore petit.
 Hic precio & solita conductus lege docendi,
 Explicuit Vates, Rhetoras, Historicos.
 Ipsi ubi tum multa nos hunc grauitate legentem
 Vidimus, in magno pars quotacunque grege.
 Ac minor huius erat non illo tempore fama,
 Quam tua per Latias, Quintiliane, scholas.
 Tam bona facunda manabat gratia lingua,
 Tantus & in toto sederat ore decor.
 Fors etiam vitam term clausisset in ista,
 Vno hanc si claudi fata tenore sinant.

Sed fortuna bonis quæ rebus ubique repugnat,
 Hunc quoque non vno passa vigere loco.
 Namque ubi iam senior requiem finemque laborum
 Sperat, & extrema littora puppe secat;
 Siue hominum inuidia, seu sorte trahente coactus,
 Hæc tum mutauit sedibus arua nouis.
 Norica qua Pyrgi iactat se nomine tellus,
 Artibus & cultis inclyta terra viris.
 Huc illum adsciuit sapiens cum plebe Senatus,
 Vt ueheret Musis hæc quoque regna suis,
 Effet & illius decus & noua gloria gentis,
 Et regimen ceptæ normaue certa scholæ.
 Nam fuit hæc pulcris vrbs semper dedita rebus,
 Inuentrix operum, & laudis amore flagrans.
 Et quæcunque aliquo virtutis nomine fulgent,
 Hæc illa ante alias ingeniosa colit.
 Ergo iterum patria post tempora longa relicta,
 Mutauit veterem conditione noua.
 Ac socios inter Ioachimum Græca docentem,
 Et te pars nostri, Micale, magna chori.
 Hic sibi tum laudis tantum, fameque parauit,
 Quantum fas vlli conciliare viro.
 Nam neque muneribus caruit, nec honoribus vnquam,
 Dignaue factorum premia multa tulit.
 Quanquam etiam ista sua turbauit commoda fraude,
 Quæ nihil integrum Noxa maligna sinit.
 Et mox Thuringos iterum reuocatus in agros,
 Rebus ut auxilium ferret opemque malis,
 Colligeretque diu passim & sine honore iacentes,
 Desertasque hominum fraude locique deas.
 Vt bis ab externis fuit has accitus in oras,
 Sic bis ad externas inde repulsus abit.

Fortuneque fuit veluti pars ludicra quadam,
 Perque vices trepida summa vel imarotæ.
 Donec ad hanc veteris sortem respexit alumni
 Ille tui princeps, Lane, Philippus agri.
 Aerumnamque viri & sortem miseratus iniquam,
 Iussit ad antiquos hunc remeare lares.
 Hic tandem reliquæ transegit tempora vite,
 Cumque suis natis, coniuge cumque sua.
 Hic idem Aonias patriam reuocauit ad vndas,
 Adduxitque nouas ex Helicone deas.
 Cum quibus extremos æuum perduxit in annos,
 Dum clausit summum meta peracta diem.
 Sed fors priuatos hominis quoque noscere mores
 Queris, & ut vitam degerit ille suam.
 Nam modo non paucos obscuræ fama poetas,
 Musa quibus facilis, vita nefanda fuit.
 Quique suis recte quum possent dotibus uti,
 Turpia carminibus præposuere bonis.
 Vt qui ferali furiarum concitus æstro,
 Lemniadum equauit nomine reque malum.
 Aut qui, Vangionum dum censet in vrbe gregatos,
 Stridenti miseras lancinat ore deas.
 A quibus hic noster toto sic abfuit æuo,
 Vt cælum extremo distat ab Oceano.
 Nam neque luxuriam vitamue secutus inertem,
 Nec ventri aut veneri dedius ipse fuit.
 Sed simul ac iustos æui peruenit ad annos,
 Iamque ætas illi facta virilis erat;
 Consortem vite legit, sociamque laborum,
 Ingenio, fama, nobilitate parem.
 Huic thalamo iunctus, tædæque fideque iugali,
 Protulit in lucem pignora multa nouam.

Quorum pars etiam vitali vescitur aura,
 Atque tuos passem, Lane, pererrat agros.
 Pars, ita propositum fati repetentibus aum,
 Ante suum rapti morte obiere diem.
 Nec rursus invidia stimulis agitatus & astro,
 Effudit nigro carmina felle lita.
 Aut suduit fama cuiusquam aspergere labem,
 Verbaque latrantum fingere more canum.
 Sed pariter vite seruans linguaque pudorem,
 Et prestare potens & retinere fidem,
 Nec minus ingenio quam puro candidus ore,
 Scripta dedit passem moribus aqua suis.
 Nam partim cecinit laudum & virtutis amorem,
 Quae pariant animis commoda multa piis.
 Ut quae pastorum iuuenis cantauit auena,
 Dum patriam atque artes euehit ore bonas.
 Aut quum sylvarum celebrauit nomine sparsim,
 Cum populis, vrbes, regna, ducesque suis.
 Partim etiam versu mutauit Græca Latino,
 Et docuit Latias illa sonare togas.
 Hinc & Simichides Siculis transgressus ab aruis,
 Ausonia celebrat pascua voce sua.
 Hinc & Pelides, & Troie euersor Vlysses,
 Verba facit populo sueta, Quirine, tuo.
 Præcipue accensis diuorum pectora rebus,
 Inclusit numeris sacra Deumque nouis.
 Nam modo digressus primis cantauit ab annis,
 Quae mittat sancto sancta legenda viro.
 Mox etiam Solymi conuertit cantica vatis,
 Iussit & Ausonios illa referre modos.
 Atque vtinam poterat producere longius annos,
 Nec properent triplices fila secanda Deæ.

Iam

Iam quoque digestos legeres in carmina fastos,
 Et seriem sacrae totius historiae.
 Nec plus Peligno laudis famaue poeta
 Pontificum parerent eruta festa libris;
 Quam mihi tunc noster meruisset carmine vates,
 Exposita tota cum pietate fide.
 Sed fera quæ rapiunt ipso bona cuncta sub ortu,
 Inuidere nouis his quoque fata bonis.
 Idque opus inceptum præuentus morte reliquit,
 Dum velut e medio tramite raptus obit.
 Quo te non debet tanti, pater optime, luctus,
 Aut tanti vatis, Lane, pigere tui.
 Sed velut hic alios supra caput extulit omnes,
 Quicumque Aonis ora rigantur aquis;
 Sic decet hunc omnes lugere hominesque deosque,
 Hessiaci quotquot nutrit arena soli.
 Nam quid maius in hoc restat, quo viuimus, orbe?
 Quidne aliud superis nos facit esse pares?
 Gratia quam vatum, & præconia docta sororum,
 Concita quæ vatum numine corda regunt.
 Quis veterum nosset laudes & facta virorum?
 Fortes Aeacidas, Neritiosque duces?
 Aut quis Scipiadas, aut quis te maxime Caesar?
 Teque tot inuictum, magne Camille, malis?
 Nomina si nulli seruassent ista poeta,
 Nectantus sacri carminis esset honos?
 Nulla foret laudum, virtutis nulla cupido,
 Ni moueant vatum tot monumenta viros.
 Illis debemus quascunque accepimus artes,
 Illis debemus sacra fidemque Deum.
 Adde quod his, tali superum qui mente reguntur,
 Nec sceleri aut vitis obuia corda patent.

F 2

Nullus

Nullus auaritia stimulus, non ullus amorum,
 Excepto si quem fœdera casta ligant.
 S. d siue in solis peragunt sua tempora syluis,
 Pieriis inter flumina nota choris;
 Siue etiam mediis regum versentur in aulis,
 Carminis est illis unica cura sui.
 I. de sacri vates & diuum cura vocantur,
 Cœlestumque sua numina voce canunt.
 Et quisquam a lacrymis sibi temperet, aut tua fata
 Afficiat siccis, tante poeta, genis?
 Nec, quod mœstia solet mater viduata nepote,
 Quum sedet ad tumulum crine soluta nouum;
 Nos etiam duras leges, immitia fata,
 Et graue Parcarum voce queramus opus?
 Heu, quantum amisit tecum tua patria nomen,
 Heu quale & quantum Teutonis ora decus!
 Omiseros homines, o spes incerta laborum,
 Quam cito, quod longo tempore creuit, abis!
 Quæ vero superi, quæ tandem damna paratis?
 Artibus ecquis honos post super ullus erit?
 Aut erit, ut merito quisquam aut virtute fruatur,
 Quando bonos eadem fata malosque premunt.
 Nam quis finis erit? vel quis numerauerit omnes,
 Tempore quos ætas abstulit ista breui?
 Occidit omnigena spes & decus artis Erasmus,
 Secula quo maius nostra tulere nihil.
 Primus qui cæco Musas reuocauit ab orco,
 Fregit & eloquio barbaræ regna suo.
 Occidit & lingua pariter memorandus utraque,
 Attica quam tellus Itala quamque tulit,
 Vrica Sequanice Budæus gloria gentis,
 Quam late Rhodanus cingit & arua Liger.

Occi-

Occidit, Hesse, solo tecum prognatus eodem,
 At procul hinc alio Cordus humatus agro.
 Ambas qui studio coniunxit Apollinis artes,
 Idem seu medicus, siue poeta bonus.
 Occidit Vrsinus regum versatus in aulis,
 Pannoniam rapidis qua secatur Ister aquis.
 Carmine qui variis rebus quæsiuit honorem,
 Atque idem Musas iunxit & historiam.
 Occidit & noster notus bonitate Philippus,
 Principis a veteri nomina monte gerens.
 Qui pariter Musis, pariter virtute decorus,
 Summa fuit populi gloria, Mæne, tui.
 Ut memorem neque te Viues, quem mille per artes
 Externo cultum misit ab orbe Tagus.
 Nec te, qui terris obiisti fata Cheruscis,
 Heu procul a patria rapte Bolere tua.
 Atque alios quibus ampla sua stat gratia fama,
 Sed fugiunt versus nomina longa breues.
 Et quasi pœniteat tantæ fera numina cladis,
 Sitque parum summos tot cecidisse viros;
 Ecce eadem inuisa mortis vis abstulit Hesium,
 Hesium, cui tellus non tulit ista parem.
 Qui pariter Græcas Musis sociando Latinis,
 Absoluit tota quidquid in arte fuit.
 Atque aliquis speret melioris tempora mundi,
 Quæque futura, eadem prosperiora putet?
 Heu mihi, quæ rerum facies? quis nascitur ordo?
 Qualia nos & quam barbaræ sæcla manent?
 Quæ qui securo poterit contemnere vultu,
 Idem etiam patria funem latus agat.
 Nos certe casus quisquis tua fata sequetur,
 Plangimus heu mortem, care Poeta, tuam.

F 3

Qua-

Quaque licet lacrymis testamur & ore dolorem,
 Saucia quem tanto vulnere corda gerunt.
 Quem neque longa dies, qua cetera cuncta leuantur,
 Nec ratio a solito dimouet vlla statu.
 Quamuis si qua manent iustorum pramia manes,
 Et posita est meritis gratia certa suis;
 Te quoque credibile est mistum felicibus umbris,
 Nec lacrymis nostris iam nec egere prece.
 Sed liquidas inter mentes, super aethera vectum,
 Perpetua rerum prosperitate frui.
 Et vel Iesseis sociantem carmina neruis,
 Cantica celesti psallere grata Deo.
 Aut castas inter diuinae Heroidas aule,
 Carpere cum sanctis gaudia lata choris.
 Quo quacunque tuos retinent habitacula manes,
 Seu quascunque tenes umbra beata plagas;
 Sis felix, nostrumque precor, cape dexter honorem,
 Quem tibi supremum moesta Thalia refert.

* * * * *

Regem dictum fuisse inter sodales & amicos Eobanum, Capnione occasionem nominis huius praebente, & de hac sua denominatione carmen ipsum composuisse, supra pag. 36. indicauit Camerarius. Istud ex Poematibus eius, non adeo obuiis amplius, huc apponemus, depromptum ex Sylvarum Libro II. edit. Halensis Suev. anni 1539. fol. 221. & Francof. anni 1564 pag. 470. seqq.

Non

Non ego crediderim citius prodisse poëtam,
 Quem sterilis naptum predicat Aspera senem;
 Quam mihi iamdudum Phœbeia signa ferenti,
 Venit adoptato nomine Regis honor.
 Hoc tamen unde feram, qua manet origine nomen,
 Stultum & ridiculum dicere pene fuit.
 Scripsimus exiguo vulgata poemata versu,
 Scripta notis populo Lipsia clara dedit.
 Legerat hæc gentis Reuchlinus fama Sueua,
 Et dixit: Regis nomen habere potes.
 Inter enim quoscunque ferunt tua sacula vates
 Rex es, & est ratio nominis inde tui.
 Nam Graui Regem dicunt Hellenæ poëta,
 Esse ita te Regem nomine reque doces.
 Et velut exerceas agnatum in carmina regnum,
 Recta stat in versu syllaba quæque tuo.
 Hoc scriptum excipiunt atque amplexantur amici,
 Et Regem clamant omnibus esse locis.
 Ipse ego quando quidem nec publica scripta negare,
 Nec poteram caris obstruere ora viris;
 Rex inquam, Rex vestier ero; quando ista necesse est
 Tradita militie nomina ferre mea.
 Verum alios titulos, nec inepta insignia sumam,
 Moria iamdudum cognita tota mihi est.
 Vidimus Vtopia latisima regna superba,
 Teستا lucernarum sunt peragrata mihi.
 Fortunata meo lustrata est insula cursu,
 Dulcia ubi æterno flumine mella fluunt.
 Qua viret Ambrosie succus, qua rupibus altis
 Nectara vt e caelo præcipitata cadunt.
 Gentis Hyperboræ felicem vidimus oram,
 Quæ neque mors homines nec mala fata premunt.

F 4

Qua

Qua stant perpetuam facientia stagna iuuentam,
 Qua licet in cælum scandere quando libet.
 Hæc per & hæc circum pulcherrima regna, volentem
 Moria me fida duxit amica manu.
 Quumque peragrarim tot tantaque regna, licebit
 Stultitia titulos sumere iure mihi.
 Musica legitimum sumant in carmina regnum,
 Qui sunt Meonide Virgiliique super.
 Quam mihi sint nulle scribenda in carmina vires
 Sentio, & ingenium metior inde meum.
 Vos quia me Regem facitis, finite esse tyrannum:
 Stultitia haud aliud me diadema mouet.
 Sic ego. Paruerant illi tam vera monenti,
 Tradentes manibus regia sceptra meis.
 Fecerit ergo licet Reuchlinia littera Regem,
 Non tamen hoc tantum contulit imperium.
 Plurima Capnioni subscribit turba. Quid inde?
 Si rem complebunt nomina, Cæsar ero.

* * * * *

Idem, cur sibi nomen *Helii* dederit, & reli-
 quis suis nominibus præposuerit, causas ex-
 posuit in carmine, quod supra pag. 15. indica-
 tum hic exhibebimus, depromptum e Libro I.
 Sylvarum p. 373. seq. edit. Francof. fol. 203. edit.
 Halensis.

AD AMICUM.

Helius vnde meum veniat prænomen in usum,
 Indicio queris certior esse meo.
 Accipe, ne quicquam frustra petiisse queraris,
 Disperere am possum si qua negare tibi.

Helius

Helius Argium, Sole est sermone Latino
 Helius est quisquis numina Solis amat.
 Quid mage conueniens vati quam nomina Solis,
 Quem vocat & sentit musica turba patrem?
 Nomine maiestas Solis non finit in vno,
 Conueniant vni nomina plura Deo.
 Quippe idem Sol, Mercurius, Mars, Liber, Apollo
 Creditur, & signis pluribus esse liquet.
 Ille regit vates, diuinum inspirat amorem,
 Solis ab influxu spiritus iste venit.
 Et nisi diuini fallunt oracula Platonis,
 Esse nequit vates quem fugit ille Deus.
 Quin etiam si nullus ero & sine numine vates,
 Helius est certe qua ratione vocer.
 Sol mihi nascenti primo præluxit ab ortu,
 Et quæ prima mihi, Phœbi erat illa dies.
 Grata deo Soli lyra tunc fulgebat in astris,
 Natali primum surgere visa meo.
 Iam ter quinque ierant a nato secula Christo,
 Annos deme tamen cum tribus inde decem.
 Non ego falsa loquor, vertentem consule mundum,
 Sacra dies Iani Regibus illa fuit.
 Has tibi de multis placuit conscribere causas,
 Quas veras certe nominis huius habes.
 Quas ipsas aliquo tamen olim carmine dixi,
 Cuius quum nequeas ultima, prima vides.
 Hæc siquidem superant, perierunt illa; quod olim
 Sparserat incauta stulta iuuenta manu.

F 5

Theo-

^{* * * *}
T*heocriti Idyllia*, quorum pag. 47. fit mentio, eleganti Latino carmine exposita prodierunt anno 1531 Basileæ, ex officina Andrea Cratandri, Hieronymo Ebnero Senatori Norimbergensi dicata insigni elegia; quæ in duabus Poematibus ipsius farraginibus non extat, & incipit:

Hæst tibi Trinacrio ductas e rure capellas

Mittimus, & Latia pascua versa manu &c.

Nec prolixior ista elegia in iisdem comparet, qua Caspari Scheto, erudito mercatori Antverpiano, paraphrasin *Iliados Homericæ* carmine heroico scriptam, Marpurgi d. 15. Mart. anno 1540 nuncupauit, quæ incipit:

In varias quondam partes distractus Homerus,

Et lacer ingrato sparsus in orbe fuit. &c.

Ad quam Schetus respondit diffuso carmine, quod sub finem operis istius, Basileæ apud Io. Oporinum anno 1549 excusi, legitur:

Musa, quæ liquidis transcenditis æra pennis,

O semper faciles in mea vota Dea. &c.

^{* * * *}
Epistola ad *Erasmum Roterodamum*, cuius fit mentio pag. 31. quam e diuersorio, postquam Louanium anno 1518. peruenisset, ad ipsum misit Eobanus, extat Lib. III. Sylvarum fol. 233. edit. Hal. pag. 432. seq. ed. Francof.

De

^{* * * *}
De *Mart. Lutheri* aduentu in urbem Erphordiam, quem pag. 37. narrat Camerarius, quatuor venustissimas elegias scripsit Eobanus, quæ in Poematibus eius leguntur pag. 847. seqq. ed. Francof. fol. 117. seqq. ed. Hal. Quo loco etiam pag. 866. & fol. 126. Inuectiua in *Hieronymum Emserum* Lutheromastiga, vt Eobanus appellat, cuius meminit hoc loco Camerarius, extat.

^{* * * *}
Psalmorum Dauidicorum paraphrasin elegiacam, a Camerario pag. 55. laudatam, Erphordiae anno 1534 cœpit, sed Marpurgi anno 1536 die 14. Decembris anno ætatis 47 finiuit Eobanus, vt ipse indicat in prima huius libri edition, quæ prodiit Marpurgi 1537. pag. vlt.

^{* * * *}
Ludo latrunculorum delectatum fuisse Eobanum, narrat pag. 56. Camerarius: isque Vidæ descriptionem huius ludi scacchorum miserat ad Eobanum, pro qua ille hoc eidem reddidit carmen:

Bella per instabilem plus quam socialia campum

Qua danteus perlegimus.

Bella quidem belle, quisquis fuit, ista peregit,

Nec Vida vidit improbe;

Quam

*Quam deceant faciles etiam sua proelia Musas,
 Diuosque longe principes;
 Arcitenens magno quæ cum Ioue tractet Apollo,
 Tuque Argicida Mercuri.
 Iamque nec ingenii, nec in istas temporis artes
 Quondam locati pœnitet.
 Te quoque, cui Phœbus cedat sub talibus armis,
 Non pœnitere suspicor.
 Quas tibi nunc tanto solvam pro munere grates,
 Ioachime mi carissime?
 Sed tamen eximio Bilibaldo plura fatemur
 Debere nos, huiusmodi
 Pro merito; siquidem gratam dedit ille palestram
 Iam non latrocinantium,
 Magnorum superum sed suauiter ista gerentum
 Musis amica proelia.*

* * * * *
 * * * * *

M*edicinæ* encomium, quod Erasmi oratione in versus translata Eobanum conscripsisse Camerarius pag. 35. annotat, legitur in Poem. Eobani pag. 811. seqq. ed. Francof. subiectum libello eleganti de bonæ valetudinis conseruandæ rationibus, quas venustis versibus descripsit.

* * * * *
 * * * * *

N*orimbergam*, quo anno 1526 accitum Eobanum Camerarius pag. 46. memorat, prolixo carmine descripsit idem, secutus Conradum Celtem; multum lucis splendidissimæ
 isti

isti vrbi adferens venusto istoc poemate, quod inter reliqua extat pag. 632. edit. Francof. Præstantes etiam in ea viros, *Bilibaldum Pirckheimerum, Casparem Nucelium, Hieronymum Ebnerum, Albertum Durerum, Michaellem Rottingum, Sebaldum Heidenum, Greg. Haloandrum, Hieronymum Baumgartnerum*, & alios carminibus profecutus est, quæ inter reliqua conspiciuntur. De laudibus Norimbergæ legitur etiam eius Idyllium XVI. pag. 86. ed. Francof. fol. 47. ed. Hal.

* * * * *
 * * * * *

L*vdouicum Christianum*, quem Erphordiæ præceptorem fuisse Eobani pag. 14. indicat Camerarius, prima Ecloga seu Idyllio, sub nomine *Melissæ*, quum seipsum *Camillum* vocet, colloquentum introducit, suum a patria discessum & aduentum in Academiam Erphordiensensem describens. Idem Ecloga VIII beatæ Tranquillitatis laudes exposuit ad Contr. Ruffum, qui studiosæ tranquillitati & quieti se totum dederat, Canonicus Gothanus, & supra fores ædium suarum hunc titulum fixerat: *Beata tranquillitas*; & paullo post in atrio: *Bonis cuncta pateant*. Vide Camer. p. 26.

* * * * *

IOachimo Camerario quintum Sylvarum librum dedicauit Eobanus anno 1533, cuius in Narratione hac pag. 49. is mentionem facit.

* * * * *

Christianorum Fastorum conscribendorum institutum, quod autore Philippo Melanchthone Eobanum suscepisse Camerarius p. 54. scribit, non persecutus est idem, certe non absoluit. De toto hoc inchoato opere, quod nec Stigelius pertexuit, reliqui sunt pauci hi versus, quos asseruauit in Lib. II. Epist. Hessi & aliorum Camerarius:

*Sacra, dies, caussas, & signa volubilis anni,
Quem Christo numerant tempora nostra, canam.
Tu mihi spirantem patrio de pectore Flatum,
Hec tibi scripturo mittere, Christe, velis.
Qui mea si dulci dignetur pectora flamma
Tangere, iam vero numine plenus ero.
Ardua iam sacro contingam sidera cantu,
Iam mea coelesti carmina melle fluent.
Annue summe tuas conanti dicere laudes,
O qui quicquid habes, trinus & vnus habes.
Tota creatorum quem sentit & esse fatetur
Machina, & immensum totius orbis opus.*

* * * * *

Quam in quadam ad Io. Matthesium scripta carmine epistola, opera sua Eobanus recensuerit, ista autem inter Poemata eius non

ex-

extet, a Camerario in Lib. III. Epistolarum eiusdem asseruata, eam huc transferendam duximus:

**EOBANVS HESSVS
IOHANNI MATTHESIO**

Ludi Rectori Vallium

Ioachimicarum.

Dolite rudes animos studiis formare, Matthesi,
Addita amicitia pars modo iusta mea.
Quod mea miraris ceu dignos scripta libellos,
Quos legat & merito vulgus honore colat.
Candor is est animi simplex tuus, aut ego fallor,
Aut hoc iudicium fallit ineptus amor.
Quos tamen ediderim, vis certior esse libellos:
Accipe de multis nomina pauca breui.
Bucolicis lusi numeris inuenuitior etas,
Quos tamen haec auctos serior esse dedit.
Hinc facili sanctas Heroidas ore canentem,
Vidit ab Arctoo Parrhasis vrsa polo.
Has quoque sicut erant lacera nec veste polita,
Indutas cultu iussimus ire nouo.
Quid loquar, ut medicas mea Musa sit ausa per artes
Ire, nec audaces abstinuisse manus?
Scripta quod eximius epicedia manibus extant,
Pondera mensura iusta libellus habet.
Vt taceam quia Graeca dedi sermone Latino,
Nos Latio Siculum pauimus orbe pecus.
Nonnihil immensus nobis quoque debet Homerus,
Debebit totum, si mea fata ferant.
Bis tria nuper erant vulgata volumina, Sylua,
Quas miro assensu Teutonum ora probat.

Si

92 VITA HELII EOBIANI HESSI.

*Si quis in hos montes miretur quod nihil horum
Venerit, hæc caussa est & manifesta satis.
Diuitis hic Pluti, non carmina nostra, leguntur,
Hic sonat argenti, Musica vena tacet.
Plurima præterea numero comprehendere non est,
Quæ variis cecinit nostra Thalia modis.
En tibi, digne cani versu meliore, Mathesi,
Indice pro longo tam breue carmen habes.
Viue memor nostri, quotiesque libebit ad Hessum
Scribere, fac libeat scribere multa. Vale.
Erphordix, D. IX. Julii anno Christi MDXXXVI.*

* * * * *

CArmen prolixius, quo memoriam Eobani
Io. Stigelium, coluisse Camerarius p. 58. in-
nuere videtur, in voluminibus Poematum
eius reperitur nullum, præter hoc vnicum
breue Vol. III. Lib. 3. fol. 100.

*Helius è viuis Eobanus vt exiit Hesus,
Pierius siccis aruit amnis aquis.
Flumina fuderunt oculis manantia Musæ,
Fleuit & abiecta mæstus Apollo lyra.
At Deus hunc terris rapuit, cæloque locauit,
Cantet vt in Christi carmina blanda sinu.
Donec erunt Musæ, dum voluet sidera cælum,
Carmine victuro nobilis Hesus erit.*

FINIS.




KSIEGARNIA

ANTYKWARIAT



1800

E * 117255



CAMERARIUS
DE
PHILIPPI
melanctonis
VITA.

A